PERICULI ENTOMOGRAPHICI,

SPECIES INSECTORUM

NONDUM DESCRIPTAS

PROPOSITURI,

FASCICULUS.

AUCTORE

CAR. REGIN. SAHLBERG,

HIST. NATUR. PROFESSORE.

CUM TABULI IV ÆNEIS.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM, 1823.

Peregrinas remotissimasque visendi mundi plagas, vel lenitate coeli vel fertilitate ipsius soli, Floram progignentes ditissimam Faunamque, saltus illarum, campos prataque florifera, nec non lacus paludesque peragrandi diligenterque pervestigandi, atque immensa Insectorum nondum cognitorum, & forma & colore mirifice variantium, messe ibidem congesta, horum descriptionibus ambitum finesque Scientiæ Entomologicæ amplius dilatandi, paucis profecto vel hucusque oblata fuit, vel posthac dabitur occasio. Attamen Entomologorum, cujuscunque fuerint eruditionis famæque, vix ullum nominare poteris, cui non licuerit vel paucas saltem, aut in Patria a semet ipso collectas, aut e Museis publicis privatisve mutuo acceptas, novas describere Insectorum species. Utrum vero *illi*, donis suis, largissimis quidem, sed rarissime datis, vel *hi* symbolis, quantumvis exiguis, sed crebris tamen & undique terrarum collatis, numerum Insectorum hactenus cognitorum plus auxerint, res est haud facile dijudicanda. Id saltem hinc colligere juvat, quod, qui *illorum* sortem ne sperare quidem possunt, ideo tamen a vestigiis *horum* calcandis haudquaquam absterreri debeant. Quæ cum ita sint, nos quoque, descriptionibus iconibusque specierum quarundam nondum descriptarum, in incrementum Scientiæ Entomologicæ aliquid conferre, vel saltem eorum, qui majora moliuntur opera, labores sublevare, & ipsi gestientes, adhortationibus

Viri, cultoribus Entomologiæ omnibus æque amati atque æstimati, D:um SCHÖNHERR loquor, Entomologorum borealium decus, diligentiæque Entomologicæ exemplum, eo potius obtemperavimus, quod Insecta mox describenda, pro insigni sua liberalitate, cuique notissima, ipse nobis mutuo obtulerit. Quas itaque jam enarraturi sumus Insectorum Species, omnes in Museo D:ni SCHÖNHERR, Coleopterorum ditissimo, asservantur, omnesque auctoritate hujus Viri, copia librorum Entomologicorum eximia ornati, commercioque litterario cum plurimis Entomologis Europæ juncti, utpote nondum descriptæ proponuntur. Nomina trivialia, quæ Speciebus plurimis vel a laudato D. SCHÖNHERR, vel ab alio quodam Entomographo, jam antea data sunt, retinuimus; paucis nova ipsi apposuimus. Species quasvis Generibus annumeravimus, quibus in collectione sæpius laudati Viri subjecta erant, omne instrumentorum cibariorum eo magis præterire coacti examen, quo minus nobis licuit, specimen, quod habuimus unicum, idque mutuo acceptum mutilare. Descriptiones autem partium cæterarum exarare accuratas, omni quidem, quo potuimus, conati sumus studio. Quum vero Insecta hæcce, cum Speciebus omnibus vel saltem pluribus, iisdem affinibus comparandi, nobis non contigerit occasio, quumque copia librorum necessariorum sufficienti haud fuerimus instructi, nulli dubitamus, quin descriptiones nostræ, quamvis nimis forsitan longæ, mancæ tamen & vacillantes videantur. Illustrationis igitur ulterioris gratia, Icones plurimarum Specierum, in tabulas quatuor adumbratas, adjicere necessarium duximus. Quas autem pingendi laborem, cum, licet negotiis publicis distentus bene multis, ultro & ex insigni, quo in studium

Entomologicum ducitur amore, in se susceperit Perillustris D:us C. G Mannerheim, Liber Baro, Monographiæ Eucnemidum nuperrime editæ auctor eximius, atque in arte, Insecta vivis adumbrandi coloribus, in patria nostra facile primus, non possumus, quin, quas ab hoc nobis præstitum amicitiæ documentum habemus gratias, publice persolvamus maximas. Sculpturam Iconum D:o J. U. Ekwall, Geodætæ nostro, debemus, qui hoc primo fere Insecta ære signandi tentamine, satis, ut credo, ostendit, quid olim ab illo sperare possit Iconographia Entomologica.

Ita comparatum hunc qualemcunque Periculi Entomographici jam emisimus fasciculum. Si quid accessionis inde ceperit Scientia Entomologica, aut si quam Tibi, B. L. afferre valuerimus voluptatem, jucundissimum profecto habebimus operæ nostræ præmium; sin minus, hoc tamen nos consolabimur, quod præfatione longa Tuam non frustrati fuerimus exspectationem.

---

1. Lampyris discoidea. *Schönherr.*

L. testaceo-flavescens, punctulata, pubescens; antennis, elytrorum disco posteriori, abdomine, alis, tibiis tarsisque fuscis.

Habitat in Insula Guadeloupe. Dom. *Forsström*

Longitudine 4 lin. Paris. Magnitudine & statura L. splendidulæ æqualis. Tab. 1 f. 1.

Caput sub clypeo thoracis absconditum, nigrum; fronte inter oculos profunde sulcata. Oculi globosi, maximi, valde prominuli, nigri. Anten-

næ thorace duplo fere longiores, compressæ, pubescentes, nigro-fuscæ, articulis duobus baseos apiceque ultimi brunneis.

Thorax antice semicircularis, postice sinuato-truncatus, angulis acutis, parum deflexis, supra pubescens, limbo antico & laterali pallide testaceo, crebre rugoso-punctato, explanato, lateribus tamen postice parum elevatis, disco postico elevato, canaliculato, subtilissime punctulato, fulvo.

Scutellum subtriangulare, apice obtusum, testaceum, punctulatum, pubescens.

Elytra ovato-oblonga, basi thoracis latitudine, mox vero dilatata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra subtiliter & crebre punctulata, pubescentia, disco convexa, lineis duabus, interiori ante medium desinente, exteriori ad apicem fere extensa, obsolete elevatis, lateribus explanata, basi flavescenti-testacea, vitta ante medium incipiente, discum posteriorem occupante, fusca, limbo laterali latius, sutura angustius griseo-pallidis, pellucidis.

Pectus testaceo-flavescens, pubescens. Abdomen nigro-fuscum; ano albido.

Pedes mediocres pubescentes, compressi; femoribus flavo-testaceis; tibiis tarsisque nigro-fuscis.

2. Hister azureus.

H. ovatus, niger, nitidus, elytris cyaneis, apice punctulatis, externe striis tribus, interne punctis in series quatuor irregulares collocatis, tertia cum stria suturali ad basin arcuatim juncta.

Habitat in Brasilia. *D. Spence.*

Longitudine 3 linearum. H. nitidulo statura & magnitudine æqualis.

Caput antice productum, angustatum, crebre punctatum, nigrum, nitidum, subconvexum; fovea ante os sat magna impressa. punctoque supra hanc profunde excavato. Oculi laterales, ovati, brunneo-grisescentes. Antennæ fractæ, nigræ, nitidæ; clava magna globosa, griseo-pubescente.

Thorax antice valde angustatus, emarginatus, angulis rotundatis, posterius dilatatus, basi truncato-subbisinuatus, angulis posticis rectis, lateribus & apice tenue marginatus, supra niger, nitidissimus, convexus, disco lævis, ad basin angustissime, ad latera latius punctulatus; fovea ad angulos anticos utrinque majori & puncto ante scutellum minuto impressis.

Scutellum minutissimum, triangulare, nigrum, nitidum, lævissimum.

Elytra basi thorace haud latiora, sed illo dimidio longiora, ante medium parum dilatata, posterius sensim angustata, apice truncata, supra parum convexa, coerulescenti-azurea, nitida, apice punctulata; in singulo striæ octo, ante apicem abbreviatæ, quarum extima, in medio abrupta, & secunda, integra, impunctatæ; tertia a margine exteriore ad medium usque elytri impunctata, posterius vero punctis irregulariter seriatis continuata; quatuor insequentes punctis irregulariter seriatis compositæ; quarta prope ad basin abrupta; quinta juxta basin cum stria suturali arcuatim juncta, inter quas sexta & septima, valde breves, vix medium elytri

transcendunt; sub margine inflexo laterali stria longitudinalis integra, & sub humero altera valde abbreviata, impressæ.

Pygidium subtriangulare, nigrum, crebre rugoso-punctatum, lineolis, utrinque una, lateralibus impressis, apice reflexis, relicta inter se carinula elevata, angusta.

Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, convexum.

Pedes compressi, nigri, nitidi, tarsis nigro-piceis; tibiæ anticæ dilatatæ, crenulato-dentatæ.

3. Copris cornigera.

C. picea, nitida, capite thoraceque obscurioribus, thorace tricorni, medio retuso, bidentato, capitis cornu retrorsum parum arcuato, clypeo emarginato, pygidio lævissimo.

Habitat — — —

Statura C. lunari valde affinis, sed differt magnitudine multo majori, thoracis medio non sulcato, striis elytrorum lævioribus, atque pygidio lævissimo. Longitudine 12 linearum. Tab. 1. f. 2. 3.

Caput nigrum, nitidum; clypeus semicircularis, apice profunde sed anguste emarginatus, margine reflexo, supra rugulosus, fossula ad angulos late sed non profunde impressa. Cornu maris: basi crassius, apice angustatum, subarcuatum, elongatum, punctulatum, postice obsolete bi-angulatum, angulis crenulatis, nigrum; feminæ: quadruplo brevius compressum, basi angustius, apice dilatato, sinuato-

emarginato. Oculi cinerei, rotundati, minuti, laterales. Antennæ piceo-ferrugineæ, clavato-lamellatæ.

Thorax niger, antice retusus, angulis omnibus rotundatis, tenue marginatus, carinula longitudinali ad utrumque latus elevata; maris: tricornis, aut trilobus potius, lobis lateralibus acutis, compresso-carinatis, fossa lata & profunda, granulato-rugosa, a medio distinctis; lobus medius crassus, bidentatus, antice valde retusus, planum verticale, subquadratum, lævissimum formans; supra lævis, ad basin anguste rugulosus; feminæ vero antice latior, postice anguste punctato-rugulosus, loco loborum dente utrinque laterali brevi & carina media transversa instructus.

Elytra thorace haud latiora, sed duplo longiora, abdomine breviora, picea nitida, convexa, striata, striis lævibus impunctatis, basi & apice interno paullo profundioribus.

Pygidium subtriangulare, nigro-piceum, nitidum, lævissimum.

Corpus subtus piceum, nitidum, thoracis pectorisque lateribus punctulatis.

Pedes picei, subhirsuti, femoribus latis compressis, tibiis apice dilatatis, anticis tridentatis.

4. Melolontha æruginosa *Schönherr.*

M. oblonga, cupreo-æruginosa, nitida, setulis adspersa, scutello & pygidii lateribus dense albido-setosis, elytris brunnescentibus opacis, pedibus testaceis.

Habitat in Brasilia. Dom. *Spence.*

Longitudine $5\frac{1}{2}$ linearum. Magnitudine & statura M. transversæ æqualis. Tab. 1. f. 4.

Caput æneum, profunde & crebre punctatum, setis albidis, supra parcius, subtus dense obtectum, summo vertice glabro; clypeus rotundatus, margine reflexo, fuscescente. Oculi magni, globosi, nigri, nitidi. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava (forte maris) lanceolato-oblonga trilamellata.

Thorax transversus, longitudine duplo latior, antice late emarginatus, angulis parum prominulis, basi subbisinuato-truncatus, angulis posticis rectis, medio rotundato-dilatatus, lateribus & basi tenue marginatus, supra convexus, sat crebre punctatus, virescenti-cupreus, nitidus, medio glaber, lateribus setis albis, depressis, parcioribus late obsitus, subtus dense albido-setosus.

Scutellum triangulare, cupreum, nitidum, setis albidis decumbentibus dense tectum, apice glabrum.

Elytra thorace paullo latiora & plusquam triplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, punctulata, setulis brevibus albidis hinc inde sparsis, costis quibusdam obsoletissimis notata, rufo-brunnea, virescenti-micantia, margine tenuissime elevato, viridi.

Pygidium subtriangulare, brunneo-cupreum, viridi-micans, lineolis transversis impressis rugosum, lateribus setulis albidis dense tectis.

Pectus & abdomen cuprea, nitida, setulis albidis obsita, abdominis medio virescenti.

Pedes

Pedes longiusculi, tenues, compressi, pilosi, testacei, tibiis anticis extrorsum tridentatis, dente extimo nigro.

5. Rutela Histrio. *Dejean.*

R. picea, nitida, capitis thoracisque linea media, thoracis lateribus, scutello, macula elytrorum magna irregulari, sterno antice maculisque abdominis luteis.

Dejean Catal. de Coleopt. pag. 60.

Habitat in Brasilia, D. *Dejean*, & in Guiana D. *Thunberg.*

Magnitudine & statura R. lineolæ valde æqualis. Longitudo 8 linearum. Tab. 1 f. 5.

Caput latum, versus apicem angustatum, brunneo-piceum, linea media longitudinali flava, nitidum, glabrum, subtiliter punctulatum; clypeus protuberantia transversali a fronte distinctus, apice emarginato, lobulis reflexis nigricantibus, lateribusque anguste marginatis. Oculi rufescentes. Antennæ ferrugineæ, articulis baseos magis rufescentibus, clava elongata trilamellata.

Thorax longitudine duplo latior, antice angustior, late emarginatus, angulis porrectis acutis, lateribus rotundatus, postice subtrisinuatus, apice & lateribus tenue marginatus, supra convexus, glaber, nitidus, piceus, linea lata longitudinali, nec summum apicem nec basin attingente, lateribusque, præter punctum in medio piceum, late flavis, undique punctulatus, punctis in partibus flavis subtilissimis, in zonis vero piceis multo profundioribus, ocellatis.

Scutellum triangulare, glabrum, punctulis quibusdam subtilissimis impressis, flavum, nitidum, marginibus lateralibus anguste piceo-brunneis.

Elytra thorace duplo longiora, sed basi illo haud latiora, versus medium parum dilatata, apice subtruncata, supra modice convexa, glabra, punctato-striata, callo humerali & apicali lævibus, interstitio inter striam a sutura primam & secundam latissimo, punctato, rugisque ad striam quartam transversim impressis, nigro-picea, nitida, macula magna discoidali, suturam vix attingente, ramosque duos, alterum ad medium baseos, relicta plaga scutellum cingente picea, alterum ad marginem externum emittente, lineolaque infra humerum marginali angusta, flavis.

Pygidium subtriangulare, lineolis transversis subtiliter impressis rugosum, nigro-piceum, macula juxta marginem inferiorem flexuose & angulatim percurrente flava.

Corpus subtus ferrugineo-piceum, flavo-variegatum, thorax scilicet subtus ferrugineo-piceus, lateribus flavis; pectus piceo-ferrugineum, macula in summo margine parva, alteraque magna triangulari, in sternum itidem flavum antrorsum productum, transeunte, flavis, antice parce punctulatum, nitidum, postice lineolis subtilissimis anastomozantibus striolatum; abdomen ad latera subtilissime striolatum, piceum; segmentum primum macula ad utrumque latus parva, secundum tertiumque maculis lateralibus atque tertia adhuc in medio, quartum denique maculis in medio tribus, flavis, ultimum immaculatum.

Pedes compressi, femoribus intermediis basi puncto flavo, posticis vero lineola parva marginis interioris, atque margine exteriore late flavis.

Obs. R. Lineolæ ejusque varietati β a D. Schönherr citatæ atque a Herbst, sub nomine Melolonthæ Ephippii, depictæ, adeo omnino similis est hæcce, ut dubitem omnino, an diversam constituat speciem.

6. Akis granulifera.

A. nigra, nitida, thorace marginato, angulis anticis acutis, posticis spinosis, elytris costis tribus acute elevatis, interstitiis granulatis.

Habitat in Lusitania.

Longitudo 10 linearum. Magnitudine & habitu A. spinosæ omnino æqualis, sed differt imprimis granulis in interstitiis costarum crebris. Tab. 1. f. 6.

Caput ovatum, nigrum, antice emarginatum, dorso parum convexum, lateribus elevatis, subtiliter punctulatum, carinula ante oculos utrinque brevi elevata. Oculi laterales, transversi, angustati, atri. Antennæ longitudine capitis cum thorace, filiformes, nigræ, sub margine capitis reflexo insertæ, articulo 1:o crasso, 2:o brevissimo nodoso, 3:o longissimo, 4:o - - - 10:o versus apicem gradatim brevioribus, ultimo conico triangulari, ferugineo, basi tantum nigro.

Thorax longitudine paullo, sed thorace duplo latior, antice profunde emarginatus, angulis antrorsum valde productis, acutis, lateribus rotundatus, basi media truncatus, angulis posticis in spinam acuminatam extrorsum oblique protractis, niger, subnitidus, subtilissime punctulatus, dorso planiusculus, marginibus late elevatis.

Scutellum minutum, subtriangulare, apice truncatum, nigrum, lævissimum.

Elytra connata, ovata, antice rotundata, medio dilatata, thorace dimidio latiora, posterius angustata, apice obtuse acuminata, lateribus late inflexa, supra nigra nitida, dorso planiuscula, postice valde declivia, sutura parum, costisque duabus longitudinalibus magis elevatis, exteriori subtiliter crenulata, ad apicem extensa, interiori ante apicem abbreviata; margine itidem acute elevato-costato, crenulato; interstitium inter suturam & costam interiorem sublæve, interstitia vero duo exteriora granulosa, tuberculis inæqualibus crebris in lineam dispositis; sub costa marginali granulorum series abbreviata etiam observatur.

Corpus subtus nigrum, glabrum, subtiliter punctulatum.

Pedes nigri, glabri, femorum basi tibiisque granulato-rugosis.

7. Opatrum inquinatum. *Schönherr.*

O. nigrum, subdepressum, latum, thoracis marginibus late deplanatis, elytris leviter striatis, striis vix punctulatis, interstitiis breviter hispidulis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

5 lineas longum, O. sabuloso duplo majus, & magis depressum, multoque latius.

Caput exsertum, angulatum, antice profundius emarginatum, lateribus ante oculos dilatatis, posterius sub thorace deflexis, nigrum, pilis brevissimis ferrugineo-inquinatis obsitum. Oculi laterales, rotundati, atri. Antennæ sub margine capitis insertæ, basin thoracis haud attingentes, extrorsum paulo crassiores, nigræ; articulo 1:o crassiori; 2:o

brevissimo nodoso; 3:o longissimo subcylindrico; 4:o - - - 7:o extrorsum sensim brevioribus crassioribusque; 8:o - 10:o crassioribus perfoliatis; ultimo paullo majori pallescente.

Thorax capite duplo longior atque duplo & dimidio latior, antice angustior, profunde emarginatus, angulis anticis porrectis, subacutis, lateribus rotundatus, postice bisinuatus, angulis fere rectis, supra disco parum convexus, marginibus late deplanatis, ater, opacus, pilis brevissimis ferrugineo-inquinatis obsitus.

Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, opacum.

Elytra thorace haud latiora sed triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, antice subdepressa, anguste marginata, atra, opaca, tenuiter striata, striis antice punctis obsoletis impressis, interstitiis striarum planiusculis, setulis brevissimis rigidis subseriatis sat crebre obsitis.

Corpus subtus nigrum, opacum, setulis vel pilis brevissimis griseis parce obsitum.

Pedes mediocres, nigri, pilis parcioribus subhirsuti.

8. Opatrum latipes. *Schönherr.*

O. oblongum, nigrum, glabrum, subopacum, thorace crebre sed subtilissime punctulato, elytris striatis, tibiis posticis subarcuatis, interne subsinuatis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

6 lineas longum, Tenebr. obscurum magnitudine æquat.

Caput exsertum, subrotundum, antice emarginatum, subæquale, nigrum, creberrime & subtilissime punctulatum. Oculi laterales, oblongo-ovati, nigri. Antennæ sub margine capitis ante oculos parum elevato insertæ, capite thoraceque paullo longiores, versus apicem compresso-dilatatæ; articulo 1:o obconico, 2:o brevissimo, 3:o cæteris longiori, 4:o subcylindrico, 5 - - 10:o versus apicem sensim latioribus, latere imprimis interno dilatatis, ultimo rotundato-ovato.

Thorax transversus, longitudine plus quam dimidio latior, antice paullo angustior, late emarginatus, angulis anticis subacutis, lateribus rotundatus, tenue marginatus, basi bisinuatus, angulis posticis acutis, niger, opacus, supra parum convexus, æqualis, creberrime & subtilissime punctulatus.

Scutellum minutum, breve, rotundato-subtriangulare, nigrum, glabrum, subnitidum, subtilissime punctulatum.

Elytra thorace vix latiora sed triplo longiora, postice subsinuato-angustata, apice rotundata, supra nigra, subnitida, parum convexa, punctato-striata, interstitiis subtilissime punctulatis, tenuissime marginata, sub margine inflexo lineola abbreviata antice impressa.

Corpus subtus nigrum, margine thoracis inferioris profundius punctato-rugoso, pectore & abdomine subnitidis, subtiliter punctulatis.

Pedes mediocres, nigri, nitidi, punctulati; femora crassiuscula; tibiæ anteriores basi angustæ, versus apicem sensim crassiores, posticæ arcuatæ, in medio interne subsinuatæ; tarsi antici maris dilatati.

9. OPATRUM PERFORATUM. *Gyllenhal.*

O. nigrum, glabrum, tarsis antennisque piceis, harum apice, labro palpisque rufescentibus, elytris striatis, striis profunde punctatis.

Opatrinus perforatus. Dejean Catal. d. Col. pag. 66.

Habitat in insula Barthelemy. D. *Forsström.*

Lineas $3\frac{1}{2}$ longum, O. Sabuloso magnitudine & statura æquale.

Caput breve, longitudine paullo latius, nigrum, opacum, glabrum, subtilissime punctulatum, clypeo profunde emarginato, linea semicirculari obsolete impressa a fronte distincto. Oculi laterales, rotundato-ovati, nigri. Antennæ sub margine capitis insertæ, thorace breviores, extrorsum paullo crassiores, piceæ, articulis tribus ultimis ferrugineo-rufescentibus; articulus 1:us obconicus; 2:us brevissimus nodosus; 3:us subcylindricus, cæteris longior; 4:us tertio fere dimidio brevior, insequentibus tribus fere globosis longior; 8:us paullo crassior, 9:us 10:us clavato-perfoliati; ultimus apice obtusus, rotundatus. Labrum & palpi rufescentia.

Thorax transversus, longitudine fere duplo latior, antice angustior, late emarginatus, angulis acutis, lateribus parum rotundatus, tenuissime marginatus, postice bisinuatus, angulis acutis retrorsum productis, niger, opacus, glaber, supra parum convexus, vix & non nisi oculo acutissime armato subtilissime punctulatus, foveola ad sinus baseos utrinque punctiformi impressa.

Scutellum minutum, latitudine triplo brevius, nigrum, opacum, lævissimum.

Elytra thorace haud latiora, sed triplo fere longiora, apice rotundata, supra nigra, subopaca, modice convexa, punctato-striata, punctis striarum profunde impressis, interstitiis valde convexis lævissimis; margo inflexus per totam longitudinem canaliculatus.

Corpus subtus nigrum, subopacum, glabrum, sublæve; segmentorum abdominis 3:ii & 4:ti apices in medio interdum picei.

Pedes mediocres nigri, subopaci, crebre punctulati, femoribus subcompressis, tibiis versus apicem crassioribus; tarsi picei, anticorum articulis in mare dilatatis.

10. Tenebrio pullus. *Schönherr.*

T. oblongus, niger, subnitidus, thorace crebre punctulato, elytris profunde punctato-striatis.

Habitat in Jamaica. D. *Westfelt.*

Longitudo maris 4, fem. 5 linearum.

Caput exsertum, rotundatum, longitudine paullo latius, nigrum, subnitidum, punctulatum; clypeus sinuato-emarginatus, linea semicirculari impressa a fronte distinctus. Oculi laterales, oblongi, transversi, brunneo-nigri. Antennæ sub margine capitis ante oculos insertæ, thoracis basin vix attingentes, moniliformes, nigræ; articulus 1:us obconicus; 2:us minutus, nigro-piceus; 4:us & imprimis 3:us cæteris longiores, subcylindrici; insequentes versus apicem sensim paullo breviores; ultimus rotundatus.

Thorax

Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, antice parum angustatus, late emarginatus, postice bisinuatus, angulis omnibus acutis, lateribus nonnihil rotundatus, anguste marginatus, supra niger, subnitidus, convexus, punctulatus, punctis versus latera crebrioribus confluentibus, linea in dorso lævi angusta, obsoleta; punctum in femina utrinque profunde impressum.

Scutellum minutum, breve, rotundatum, nigrum, subnitidum, subtilissime punctulatum.

Elytra thorace vix latiora, at fere triplo longiora, ante apicem rotundata subsinuato-angustata, supra nigra, nitida, modice convexa, anguste marginata, profunde punctato-striata, interstitiis planis subtilissime punctulatis.

Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum.

Pedes nigri, nitidi, punctulati; tarsi subtus flavo-pilosi.

Obs. An hæc eadem sit ac Ten. auriplantis *Hoffm.* dijudicare haud valemus.

11. Helops opacus.

H. Oblongus, niger, supra opacus, subtus nitidior, thorace sulco transverso ad basin leviter impresso, elytris punctato-striatis, punctis profundis.

Habitat in Brasilia. D. *Christofferson.*

H. Morioni affinis, sed differt thorace magis opaco, elytris minus profunde striatis, atque magnitudine minori. Longitudine 9 linearum. Tab. 1. f. 7.

Caput ovatum, atrum, opacum; frons punctis profundioribus quibusdam impressis; clypeus subtruncatus, impressione semicirculari a fronte distinctus, subtilissime punctulatus. Oculi laterales, transversi, parum prominuli, brunnei. Antennæ longitudine capitis cum thorace, sub angulo capitis ante oculos parum elevato insertæ, moniliformes, nigræ; Articulus 1:us apice incrassatus; 2:us brevissimus, nodosus, 3:us insequentibus duplo longior; 4:us - - 10:us breves, compressiusculi, ad basin utrinque foveolati; ultimus ovatus.

Thorax longitudine paullo latior, antice parum angustatus, angulis nonnihil deflexis, lateribus parum rotundatus, tenue marginatus, basi subbisinuatus, supra niger, opacus, convexus, punctis in medio quibusdam tenue impressis, linea ad ipsam basin transversa elevata, atque ante illam sulco itidem transversim leviter impresso.

Scutellum minutum, apice rotundatum, nigrum, opacum, læve.

Elytra thorace quadruplo longiora & dimidio latiora, angulis humeralibus rotundatis, posterius sensim angustata, apice acuta, supra nigra, opaca, modice convexa, punctato-striata, striis leviter, punctis vero distinctius impressis, interstitiis lævibus.

Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore lateribus punctato, striisque obsoletis ad angulos posticos confluentibus; abdominis segmenta medio punctulata, ad latera rugosa.

Pedes nigri, nitidi, subtiliter punctulati, femoribus compressis, tibiis parum incurvatis, tarsis subtus ferrugineo-pilosis.

12. Allecula picea.

A. Ferrugineo-picea, creberrime punctulata, capite, antennis, apice femorum abdominisque fusco-nigris, elytris leviter punctato-striatis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

A. fusculæ magnitudine & habitu valde affinis, sed differt colore antennarum & striis elytrorum levius impressis. Lin. $2\frac{1}{2}$ longa.

Caput porrectum, versus os angustatum, confertissime punctulatum, sulco inter antennas transverso profunde impresso, nigrum, summo margine clypei oreque rufo-piceis. Oculi laterales, magni, valde prominuli, nigri. Antennæ longitudinem corporis dimidiam æquantes, sub margine capitis ante oculos insertæ, filiformes, nigræ, articulo primo piceo, secundo brevissimo, tertio fere cylindrico, insequentibus compressiusculis, apice parum dilatatis, ultimo ovali-oblongo.

Thorax basi longitudine dimidio fere latior, antice angustior, subtruncatus, mox deinde angulis anticis & lateribus circulariter rotundato-dilatatus, basi truncatus, angulis posticis rectis, supra parum convexus, confertissime punctulatus, ferrugineo-piceus, disco parum infuscato.

Scutellum minutum, rotundatum, rufo-piceum, subdepressum, tenue punctulatum.

Elytra thorace paullo latiora triploque longiora, posterius atttenuata, apice rotundata, supra modice convexa, rufo-picea, subnitida, leviter punctato-striata, interstitiis creberrime punctulatis.

Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, subtilissime punctulatum, segmentis abdominis tribus ultimis fusco-nigris.

Pedes elongati, rufo-picei, nitidi, punctulati, femoribus apice infuscatis, crassiusculis.

13. Allecula livida.

A. Testaceo-livida, creberrime punctulata, pubescens, oculis approximatis nigris, antennis fuscis, basi testaceis, thorace brevi, elytris punctato-striatis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

Longitudine 2 linearum, præcedente, cui statura similis, paullo minor.

Caput porrectum, versus os angustatum, confertissime punctulatum, subpubescens, stria ante oculos impressa, transversa. Oculi magni, oblongo-reniformes, valde prominuli in fronte approximati, nigri. Antennæ sub margine capitis elevato insertæ, dimidio corporis longiores, filiformes, pubescentes, fuscescentes; articulo primo apice incrassato, secundoque minutissimo, ferrugineo-testaceis, reliquis, præter basin tertii, fuscis.

Thorax brevis transversus, longitudine plus quam duplo latior, antice angustior, subtruncatus, angulis anticis lateribusque circulariter rotundato-dilatatus, basi subtruncatus, angulis posticis rectis, supra modice convexus, subtiliter punctulatus, pubescens, ferrugineo-testaceus.

Scutellum minutissimum, subtriangulare, testaceo-lividum, tenuissime punctulatum.

Elytra thorace vix latiora sed quadruplo & dimidio longiora, posterius angustata, apice subacuta, supra modice convexa, livido-testacea, pubescentia, punctato-striata, interstitiis crebre punctulatis.

Corpus subtus livido-testaceum, nitidum, punctulatum, subpubescens.

Pedes elongati, livido-testacei, aubnitidi, pubescentes; femoribus versus apicem superne rotundato-incrassatis.

14. CYCLODERES CATARRHACTUS. *Schönherr.*

C. oblongo-ovatus, æneo-fuscus, pilosus, cinereo squamosus, thorace fusco, lineis duabus albidis, elytris macula postica nuda, ænea, albo-interupta.

Habitat in Lusitania.

Curculioni Robiniæ habitu affinis, sed duplo fere major. 5 lineas longus. Tab. 2. f. 10.

Caput mediocre, subdeflexum, rugosum, nigrum, squamulis griseis sat crebris atque pilis longis erectis fuscis parcis obsitum. Oculi laterales, globosi, valde prominuli, nigri. Rostrum breve capiti contiguum, eoque paullo angustius, subhorizontale, crassiusculum, supra planum, rugosum, squamis griseis, pilisque parce adspersis obsitum, sulculo longitudinali abbreviato exaratum. Antennæ in apice rostri sitæ, fractæ, thoracis basin vix attingentes, nigræ, pilosæ, squamulis cinereis adspersæ; articulo primo (scapo) longissimo, 7 insequentes æquante, apice incrassato, 2:o cæteris quoque longiore, obconico, 3:o --- 8:o minutis pilosis

globosis, ultimis quatuor clavam oblongo-ovatam, fuscam, opacam efficientibus. Canalicula antennalis infraocularis, obliqua.

Thorax capite brevior, antice posticeque truncatus, angustatus, vix capite latior, in medio, lateribus rotundatis, gibbosis, valde dilatatus, supra parum convexus, rugosus, niger, squamulis griseo-fuscis tectus, lineis duabus longitudinalibus albido-squamosis, pilis longis erectis rarioribus vestitus.

Scutellum nullum.

Elytra ovata, thorace quadruplo longiora & duplo fere latiora, basi angustiora, mox deinde humeris rotundatis dilatata, posterius iterum angustata, apice summo parum reflexo, supra valde convexa, punctato-striata, ænea, cinereo-squamosa, lineola humerali & macula prope apicem utrinque obliqua, puncto niveo-squamoso interrupta, denudatis, fusco-æneis, pilis longis cinereis fuscisque, parce sparsis, undique vestita.

Corpus subtus fusco-æneum, squamis fuscis cinereisque atque pilis erectis albidis parcioribus obsitum.

Pedes mediocres, nigro-ænei, squamis pilisque albidis vestiti, femoribus muticis.

15. Artipus corycæus. *Schönherr.*

A. oblongus, densissime albido-squamosus, ore oculisque nigris, fronte rostroque canaliculatis, thorace punctato, elytris punctato-striatis.

Sitona corycæa. Dejean Catal. de col. pag. 94.

Habitat in Insula Americæ, St. Barthelemy. D. *Forsström.*

Habitu & magnitudine Curc. canino haud dissimilis. Longitudo 3 linearum.

Caput breve, dense albido-squamosum; frons depressa, punctulata, macula inter oculos parva fusco-nigra, a qua incipit sulcus tenuis sed profundus, ad apicem rostri continuatus. Oculi laterales, rotundati, nigri, parum prominuli. Rostrum brevissimum, subhorizontale, capiti contiguum, dense albido-squamosum, apice late bifurcatum, laciniis acutis interne ciliatis. Os nigrum. Antennæ fractæ, ad apicem rostri sitæ, capite cum thorace breviores, albido squamosæ; articulo primo longissimo, pone oculos extenso, apice crassiori; insequentibus brevibus, secundo tamen & imprimis tertio cæteris paullo longioribus; ultimis quatuor valde coarctatis, clavam oblongo-ovatam fuscam constituentibus. Canalicula antennalis infra oculos flexa.

Thorax æque longus ac latus, antice posticeque truncatus, lateribus subrectis cylindricus, dense albido-squamosus, punctis tenuiter & non crebre impressis; sulculus in medio dorsi, antice posticeque abbreviatus, valde obsoletus.

Scutellum minutissimum, punctiforme, rotundatum, dense albido-squamosum.

Elytra thorace dimidio latiora & plus quam triplo longiora, apice acuminata, supra convexa humeris prominulis, sutura apicis carinata, dense albido-squamosa, punctato-striata; in interstitiis setulæ quædam minutissimæ griseæ oculo armato conspiciuntur.

Corpus subtus squamis densis albidis undique obtectum.

Pedes mediocres, dense albido-squamosi; femoribus muticis, punctulatis, tibiis pilosis.

16. CHLOROPHANUS FALLAX. *Schönherr.*

C. oblongus, squamulis læte virescentibus tectus, vertice, thoracis medio elytrorumpue plaga suturali antica obscurioribus, mandibulis exsertis rufis, rostro carinulato, elytris apice submucronatis.

Habitat in Hungaria. D. *Megerle.*

Magnitudine & statura Curc. viridis. Longitudo 4½ linearum. Tab. 2 f. 9.

Caput mediocre, nigrum, squamulis viridinitentibus tectum, pubescens, vertice ob raritatem squamulorum obscuriori. Oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri. Rostrum subhorizontale, capiti contiguum, ejusque longitudine, sed paullo angustius, apice bifurcatum, laciniis subacutis interne ciliatis, squamulis viridibus obtectum, longius pubescens, supra depressum, carinula, in fronte incipiente & ad apicem usque decurrente, subnuda nigrescente elevata. Mandibulæ exsertæ, longitudine scapi antennarum, lanceolato-subulatæ, rufescentes. Antennæ prope ad apicem rostri sitæ, fractæ, crassiusculæ, thoracis medium attingentes, fuscæ, tenuiter virescenti-squamulosæ, pilosæ; articulo primo longitudine tres insequentes æquante, apicem versus sensim incrassato; 2:o breviori, obconico; 3:o angustiori, sequentibus quinque extrorsum paullatim crassioribus brevissimis, longiori; ulti-

ultimis quatuor coarctatis, clavam ovatam formantibus. Canalis antennarum brevior, deflexa.

Thorax rostro cum capite longior, antice angustior, truncatus, lateribus parum rotundatus, basi latior, bisinuatus, supra squamulis viridibus obtectus, in medio rarius squamosus obscurior, modice convexus, lineola in dorso, a basi ad medium usque extensa, obsolete elevata carinulatus.

Scutellum elongatum, triangulare, obscure viridi-squamosum, pubescens.

Elytra thorace dimidio latiora sed quadruplo fere longiora, cylindrica, apice acuminata, submucronata, modice convexa, humeris prominulis, striata, tenue pubescentia, squamulis viridi-nitentibus obtecta, plaga suturali a basi pone medium extensa obscuriori, sutura apicis albescenti-pilosa.

Corpus subtus squamis viridibus densissime vestitum.

Pedes mediocres, nigri, dense viridi-squamosi, pilosi, compressiusculi; femora mutica; tibiæ apice ferrugineæ; tarsi subtus ferrugineo-pilosi.

17. Phaops Thunbergii. *Schönherr.*

P. oblongus, rufescens, densissime viridi-squamosus, superciliis, thoracis elytrorumque marginibus, lineisque duabus dorsalibus, horumque sutura argenteis, elytris punctato-striatis.

Brachyrrhinus Thunbergii. Billberg Enum. Ins. suæ Collect.

Habitat in America.

Præcedenti magnitudine æqualis, 5 lineas longus. Tab. 2. f. 7.

Caput mediocre, squamulis viridi-nitentibus dense tectum, lineola supra oculos argenteo-squamosa; frons depressa, sulculo in medio abbreviato tenui impresso. Oculi laterales, ovato-subrotundi, parum prominuli, nigri. Rostrum capiti contiguum, subhorizontale, crassiusculum, capite vix longius, apice bifurcatum, laciniis acutis, interne ciliatis, squamulis viridi-nitentibus dense tectum, supra planiusculum, carinula longitudinali parum elevata, nuda, rufo-brunnea. Antennæ ad apicem rostri insertæ, fractæ, thoracis basin fere attingentes, rufescentes, griseo-pilosæ; articulus 1:us longissimus, basi subnudus, apice incrassatus, densius viridi-squamosus; 2:us & 3:us insequentibus longiores; 4:us - - - 8:us brevissimi; quatuor ultimi coarctati, clavam oblongam efficientes. Canalicula antennalis infra oculos deflexa.

Thorax longitudine capitis cum rostro, antice subsinuato-truncatus, angustior, posterius sensim dilatatus, lateribus subrectis, basi bisinuatus, rufescens, squamulis viridi-nitentibus tectus, margine laterali utrinque lineisque duabus dorsalibus argenteo-squamosis, convexus, medio tenuissime subcanaliculatus, in interstitiis inter lineas laterales & dorsales argenteas profundius sed parce punctatus, antice rarius squamosus ut rubedo perluceat.

Scutellum minutum, subrotundum, planum, squamulis cinereo-albidis tectum.

Elytra thorace quadruplo longiora, basi ejusdem latitudine, mox vero ad humeros prominulos angulatim dilatata, thoraceque dimidio latiora, cy-

lindrica, postice angustata, apice subacuta, supra valde convexa, posterius magis gibbosa, punctato-striata, squamulis viridi-nitentibus vestita, sutura, interstitio inter strias secundam & tertiam latiori & parum elevato, lineaque laterali argenteo-squamosis.

Corpus subtus rufescens, parcius viridi-squamosum, griseo-pilosum; segmento anali medio longitudinaliter subnudo.

Pedes mediocres, rufi; femora supra densissime, subtus parcius viridi-squamosa, subpilosa, crassiuscula, mutica; tibiæ hirsutæ, squamulis raris virescentibus adspersæ, anticæ antrorsum densius viridi-squamosæ, ad apicem incurvatæ; tarsi valde pilosi, supra parcius viridi-squamosi.

18. PHAOPS ALBUGO. *Schönherr.*

P. oblongus, niger, densissime niveo-squamosus, oculis nigris, capite thoraceque leviter canaliculatis, elytris lacunosis, ad basin supra thoracem parum protractis.

Habitat in Brasilia. D. *Kreuger.*

Præcedente paullo major, $5\frac{1}{2}$ lineas longus. Tab. 2. f. 8.

Caput mediocre, nigrum, squamulis niveis densissime tectum, macula pone oculos utrinque parva subnuda, supra planiusculum, sulculo in fronte tenuiter impresso, ad apicem rostri continuato. Oculi laterales, ovato-subrotundi, parum prominuli, nigri. Rostrum capiti contiguum, eodemque vix longius, sed paullo angustius, crassiusculum, sub-

rectum, apice bifurcatum, laciniis acutis, margine interno ciliatis. Antennæ ad apicem rostri insertæ, fractæ, nigræ, tenuiter albido-squamosæ, pilosæ, thoracis basin vix attingentes; articulo primo longissimo, apicem versus incrassato; 2:o & 3:o insequentibus paullo longioribus; 4:o - - - 8:o brevissimis obconicis; ultimis quatuor coarctatis, clavam oblongam formantibus. Canalis antennarum infra oculos incurvata.

Thorax antice truncatus, angustior, lateribus parum rotundatis sensim dilatatus, basi thorace duplo latior, bisinuatus, angulis posticis subacutis, supra convexus, squamulis niveis densissime tectus, canalicula vel lineola angusta, longitudinali, impressa, nuda, plagaque obsoleta, utrinque longitudinali rarius squamosa, obscuriore.

Scutellum minutum, rotundatum, planum, squamulis niveis dense tectum.

Elytra thorace quintuplo longiora, basi eodem vix latiora, sed mox ad humeros valde prominulos acutos dilatata, cylindrica, apice angustata, rotundata, ad basin lobulo supra thoracem nonnihil producta, antice parum convexa, posterius gibbosa, foveolis impressis lacunosa, squamis niveis densissime obtecta, punctis subtilissimis vel poris perforatis hinc inde sparsis, ad marginem vero summum in duas series dispositis, denudatis.

Corpus subtus nigrum, niveo-squamosum; segmentis posterioribus abdominis obscurioribus; segmento anali pilis griseis densius obsito.

Pedes mediocres, nigri, niveo-squamosi; femora mutica subpilosa; tibiæ longius pilosæ, anticæ

apice valde arcuatæ, intermediæ parum incurvatæ, posticæ rectæ.

19. Platyomus nodipennis. *Schönherr.*

P. niger, squamis supra ferrugineis, subtus virescentibus dense obtectus, thorace carinato, transversim sulcato, elytris punctato-striatis, tuberculis inæqualibus prominentibus, apice obtuse mucronatis.

Habitat in Brasilia. D. *Christoffers* n.

Longitudo 9 linearum. Tab. 2. f. 6.

Caput mediocre, nigrum, squamulis supra ferrugineis, subtus pallidioribus nonnihil virescentibus, densissime obtectum; frons plana, lineola inter oculos longitudinali impressa. Oculi laterales, globosi, valde prominuli, nigri. Rostrum capitis longitudine & latitudine, eidemque contiguum, subrectum, apice parum incrassatum, emarginato-sinuatum, squamulis ferrugineis, in apice paullo pallidioribus, dense vestitum, supra fovea magna longitudinaliter lateque excavatum, lateribus valde elevatis. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis basin attingentes, fractæ; articulus primus longissimus, incrassatus, recurvatus, niger ferrugineo-squamosus; 2:us brevis, obconico-nodosus, tresque insequentes cæteris longiores, versus apicem gradatim breviores, obconici, 6:us 7:us brevissimi, 8:us paullo crassior, omnes griseo-pilosi; ultimi quatuor coarctati, clavam oblongo-ovatam acuminatam nigram formantes.

Thorax antice truncatus, capite vix latior, posterius parum dilatatus, lateribus subrectis, basi bi-

sinuatus, supra densissime ferrugineo-squamosus, convexus, punctis profundioribus quibusdam impressis, inæqualis, dorso carinato margine antico, tuberculo laterali atque mox pone hoc carinula transversa adeo elevatis, ut transversim sed abrupte sulcatus appareat thorax.

Scutellum minutum, subtriangulare, immersum, foveolatum, pallido-squamosum.

Elytra thorace basi duplo latiora & quadruplo longiora, sensim angustata, apice singulatim obtuse & breviter mucronata, nigra, squamulis ferrugineis, hinc inde paullo pallidioribus densissime tecta, sutura ad medium fere pallide virescenti, profunde punctato-striata, antice modice convexa, humeris valde prominulis, acuminatis, deplanatis, postice magis gibbosa, tuberculo magno in medio elytri inter striam a sutura secundam tertiamque, obtuse acuminato, valde elevato, alteroque minori propius ad apicem & marginem exteriorem sito, atque ex incursu striarum 5:tæ & 6:tæ excavato; duo præterea tubercula obsoleta in parte anteriore nonnihil elevantur.

Corpus subtus nigrum, squamulis pallide-virescentibus densissime tectum.

Pedes mutici, nigri, squamulis supra ferrugineis, subtus pallide virescentibus tecti, pilosi; tibiæ rectæ, posteriores apice dense ciliatæ.

20. PROMECOPS NUBIFER. *Schönherr.*

P. oblongus, niger, griseo & brunneo-squamosus, thorace profunde punctato, scutello albo,

elytris rufo-brunneis punctato-striatis, griseo & fusco-nebulosis, interstitiis una serie setosis.

Habitat in America meridionali.

Magnitudine & statura Curc. fulvicornis. Longitudine 2 linearum.

Caput mediocre, nigrum, squamulis brunneo-griseis tectum, canalicula inter oculos impressa, ad apicem rostri continuata. Oculi laterales, oblongo-ovati, oblique transversi, nigri, subimmersi. Rostrum capiti contiguum, brevissimum, subhorizontale, obscure griseo-squamosum, supra planiusculum, canaliculatum, apice late & profunde emarginatum. Canalicula antennalis infra oculos deflexa. Antennæ in apice rostri sitæ, thoracis basin haud attingentes, cinereo-squamosæ, clava ferrugineo-rufescente, fractæ; articulo 1:mo longissimo, versus apicem parum incrassato; 2:o insequentibus paullo majori; 3:o - - 8:o minutissimis, extrorsum paullo crassioribus; ultimis quatuor clavam ovatam efficientibus.

Thorax capite cum rostro paullo longior, & dimidio latior, anticè supra truncatus, pone oculos lobo antrorsum productus, lateribus in medio parum dilatatus, postice paullo angustior, niger, densissime griseo-squamosus fusco-umbratus, punctis sparsis profunde impressis.

Scutellum minutum, rotundatum, squamulis albidis tectum.

Elytra thorace dimidio latiora, & plus quam triplo longiora, basi truncata, humeris prominulis, apice acuta, supra convexa, punctato-striata, inter-

stitiis setosis, setulis albidis vel fuscis una serie dispositis, rufo-brunnea, squamulis densis griseis fuscisque nebulosa, macula in medio dorsi magna fusca.

Corpus subtus nigrum, squamulis cinereis sat crebre tectum, parcius pilosum.

Pedes mediocres, nigri, pilosi; femora ad basin squamulis cinereis, versus apicem fuscis densius tecta; tibiæ fusco-squamosæ, apice unco armatæ.

21. Alocorhinus comprimatus. *Schönherr.*

A. oblongus, niger, rostro 4 sulcato, thorace coriaceo, elytris ad apicem compresso-carinatis, punctato-striatis, dorso transversim sulcato.

Polydrusus barbipennis. Dejean. Catal. d. Col. p. 93.

Habitat in Brasilia.

Longitudine 8 linearum.

Caput mediocre, nigrum, vertex subtilissime punctulatus; frons deflexa, rugis longitudinalibus, sulculoque in medio profundiori abbreviato impressis. Oculi laterales, rotundati, haud prominuli, nigri. Rostrum capite longius, crassiusculum, deflexum, apice emarginatum, nigrum, subpilosum, quadrisulcatum, sulcis intermediis dorsalibus latioribus rectis, carinula acute elevata distinctis, exterioribus vero obliquis, a basi antennarum ad angulum oculi juxta latera rostri exsurgentibus, angustioribus, medio dilatatis. Antennæ ad apicem rostri

stri insertæ, thoracis basin vix attingentes, tenues, nigræ, fractæ; articulus primus longissimus, versus apicem incrassatus; 3:us obconicus, 2:o paullo, insequentibus autem 4:o - - - 8:o brevissimis itidem obconicis, duplo longior; quatuor ultimi coarctati, clavam oblongo-ovatam griseo-pubescentem formantes. Canalis antennarum infra oculos deflexa.

Thorax latitudine paullo longior, antice capite vix latior, supra truncatus, lobo pone oculos utrinque subacuto productus, postice vix dilatatus, truncatus, niger, valde convexus, cylindricus, lateribus rectis nonnihil compressis, coriaceus, verruculis elevatis subnitidis.

Scutellum brevissimum, postice rotundatum, basi subemarginatum, subtilissime punctulatum, nigrum.

Elytra basi thorace paullo latiora, mox deinde pone humeros parum prominulos ad apicem usque sensim angustata, illoque plus quam triplo longiora, convexa, lateribus valde compressa, sutura posterius carinata, apice perpendiculariter declivia, nigra, subnitida, squamulis quibusdam albido-cinereis hinc inde adspersa, posterius pilosa, macula postica dorsali communi transversali, cinerea, e squamulis minutissimis cinereo-albidis densioribus formata, profunde punctato-striata, lineis transversis, strias sex dorsales transeuntibus, anterius magis elevatis, pone medium elytrorum sensim evanescentibus.

Corpus subtus nigrum, squamulis cinereis quibusdam adspersum, abdomen planiusculum, pilosum.

Pedes elongati, nigri, subnitidi, pilosi.

22. Alocorhinus clericus. *Schönherr.*

A. oblongus, niger, nitidus, thoracis lineola marginali, elytrorumque margine, lineis duabus, punctisque quatuor niveis, pedibus rufo-ferrugineis.

Habitat in Brasilia. D. *Spence.*

Magnitudine Curc. gemmati; 4 lineas longus. Tab. 2. f. 5.

Caput minutum, nigrum, subnitidum, parce & subtiliter punctulatum; frons sulculo inter oculos abbreviato exarata. Oculi laterales, ovati, nigri, haud prominuli, orbita supra infraque nivea. Rostrum capite duplo longius, tenue subcylindricum, deflexum, subarcuatum, apice parum dilatatum, nigrum, nitidum, crebre punctatum, sulco supra canaliculam antennarum, deorsum deflexam, laterali, antice angustato postice dilatato profundiorique, in angulo oculi desinente, exaratum. Antennæ propius ad apicem rostri insertæ, basin thoracis vix attingentes, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus; 2:us & 3:us insequentibus 4:o - - - 8:o paullo longiores, omnes obconici; ultimi quatuor coarctati, clavam oblongo-ovatam, apice acutam, conformantes.

Thorax longitudine rostri, capite duplo latior, antice supra truncatus, lobo pone oculos subacuto productus, lateribus ante medium rotundato-dilatatis, postice truncatus, supra convexus, sat crebre punctatus, punctis subocellaribus, niger, nitidus, lineola laterali, nec basin nec apicem attingente, niveo-squamosa.

Scutellum minutissimum, rotundatum, nigrum, nitidum.

Elytra thorace dimidio latiora atque quadruplo fere longiora, humeris rotundatis vix prominulis anterius dilatata, posterius sensim angustata, apice obtuse acuminata, supra valde convexa, gibbosa, profunde striata, striis postice lævibus, antice profunde punctatis, punctis in medio sensim evanescentibus, nigra, nitida; linea, ad marginem externum sinuatum, a basi ad apicem usque ducta, flexuosa, altera in interstitio striarum a sutura septimo paullo ante medium orta & prope apicem extensa, tertiaque brevissima in interstitio tertio ad basin sita, niveo-squamosis; puncta præterea utrinque quatuor adsunt itidem, niveo-squamosa, quorum duo in medio, transversim posita, tertium paullo posterius quartumque prope ad apicem sita sunt.

Corpus subtus nigrum, pectoris abdominisque medio niveo-squamoso.

Pedes rufo-ferruginei, elongati, mutici; femora nitida, subpilosa; tibiæ densius pilosæ,

23. LASIOPUS CILIPES. *Schönherr.*

L. oblongus, glaber, niger, rostro, thorace pedibusque rubris, elytris punctato-striatis, transversim rugosis, tibiis posticis subtus flavo-ciliatis.

Habitat in America meridionali. D. *Thunberg.*

Lineas 8 longus, magnitudine Hyl. Pineti superat. Tab. 2. f. 4.

Caput mediocre, supra rufum, pone oculos & subtus nigrum, glabrum; vertex tenue punctulatus, frons deflexa, profunde punctato-rugosa, lineola media obsolete elevata, foveola parva a carinula rostri distincta. Oculi laterales, ovati, transversi, parum prominuli, nigri. Rostrum capite duplo longius, sed angustius, subcylindricum, apice parum incrassatum, emarginatum, deflexum, subarcuatum, supra rubrum, profunde punctato-rugosum, carinula elevata longitudinali lævi, subtus nigro-piceum, pilosum. Canalis antennarum ad angulum oculi inferiorem decurrens. Antennæ ad apicem rostri insertæ, tenues, thoracis basin attingentes, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice parum incrassatus; 2:us - - 8:us minuti, apicem versus gradatim breviores, obconici, parce pilosi; quatuor ultimi coarctati, clavam oblongo-ovatam, acutam, pubescentem, conformantes.

Thorax longitudine rostri, antice parum angustatus, truncatus, lobo pone oculos antrorsum producto, mox lateribus parum rotundatis dilatatus, capite dimidio latior, basi tenuissime marginatus, subtruncatus, angulis posticis nonnihil retractis, valde convexus, verrucis elevatis coriaceus, supra sanguineo-ruber, margine antico posticoque tenuiter, & pagina inferiore tota nigris.

Scutellum minutissimum, triangulare, subtilissime rugosum, nigrum.

Elytra thorace plus quam triplo longiora, basi dimidio latiora, mox pone humeros prominulos sensim posteriora versus angustata, apice rotundata, declivia, dorso planiuscula, nigra, nitida, striis longitudinalibus profunde punctatis rugisque cre-

bris transversis elevatis rugoso-reticulata, pilis quibusdam brevibus imprimis postice obsita.

Pectus & abdomen nigra, tuberculato-rugosa, pilosa, segmento anali pilis densioribus griseo-flavescentibus obsito.

Pedes elongati, mutici, rubri, femorum apice tarsisque nigris; femora incrassata, subpilosa, medio læviuscula, subtilissime strigosa, basi apiceque rugosa; tibiæ unculo armatæ, pilosæ, anticæ compressæ, apice parum incurvatæ, posticæ latere interno longe denseque ciliatæ, ciliis griseo-flavescentibus.

24. Lixus Sitta. *Schönherr.*

L. oblongus, niger, farina vel pube pallide viridi inæqualiter adspersus, rostro ad dimidium carinulato, elytris apice mucronatis dehiscentibus, antennis basi ferrugineo-piceis.

Habitat in Iberia. D. *Steven.*

Lineas 8½ longus, L. paraplectico longitudine æqualis, sed duplo fere latior. Tab. 2. f. 11.

Caput minutum, breve, subtilissime rugosum, nigrum, farina flavo-virescenti parce obtectum; frons subdeflexa, puncto inter oculos obsolete impresso. Oculi laterales, oblongo-ovati, transversi, nigri, haud prominentes. Rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, subrectum, apice integrum, nigrum, farina tenui virescenti adspersum, subtilissime rugosum, carinula in dorso elevata, a basi ad medium extensa, punctoque ante hanc impresso. Canalis antennarum sub rostrum inflexa. Antennæ paullo ante medium rostri in-

sertæ, ejusque longitudinem æquantes, nigræ, farina virescenti parce sparsæ, tenues, fractæ; articulus 1:us cæteros omnes longitudine æquans, rufescens, apice incrassato nigro; 2:us & 3:us insequentibus quinque brevissimis longiores; ultimi coarctati, clavam oblongo-ovatam, acutam, cinereo pubescentem conformantes.

Thorax antice angustior, truncatus, posterius sensim dilatatus, basi longitudine paullo latior, bisinuatus, lobo scutellari acute retrorsum producto, supra convexus, punctulatus, niger, parce viridi squamosus, lineis in dorso duabus longitudinalibus, postice concurrentibus, punctoque utrinque densius virescenti-farinosis, subtus & ad latera farina densa flavescenti-viridi tectus.

Elytra thoracis basi paullo latiora, eoque quadruplo longiora, cylindrica, apice attenuata, utrumque ad angulum scutellarem rotundatum, ad apicem vero in mucronem subacutum, extrorsum sursumque nonnihil arcuatum, productum, supra convexa, humeris parum prominulis, punctato-striata, nigra, farina flavo-virescenti, anterius parcius adspersa, pone medium vero densius obtecta.

Pectus & abdomen nigra, pube viridi-flavescenti dense obtecta.

Pedes mediocres, mutici, nigri, pube viridiflava dense vestiti.

25. Lixus impressus. *Gyllenhal.*

L. Elongatus, niger, tenue flavescenti-pollinosus, fovea thoracis elytrorumque communi ad basin impressa, rugisque ad latera thoracis flexuosis elevatis.

Habitat in Brasilia. D. *Christofferson.*

Præcedente multo angustior, lineas 8 longus.

Caput breve, nigrum, parce flavescenti-pollinosum, carinula seu plica transversa abbreviata inter oculos elevata, punctoque ante hanc profunde impresso. Oculi juxta basin rostri parvi, transversi, haud prominuli, nigri. Rostrum thorace paullo longius, subhorizontale, crassiusculum, cylindricum, subrectum, nigrum, nitidum, tenuissime flavescenti-pollinosum, punctulatum, apice planiusculum integrumque, lineola inter antennas longitudinali abbreviata, impressa, atque ante hanc sulco transversali profundius excavato. Canalis antennalis sub rostrum deflexa. Antennæ ante medium rostri insertæ, longitudine capitis cum rostro, nigræ, pulvere tenui flavescente parce adspersæ, tenues, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus; 2:us atque 3:us, insequentibus quinque brevissimis, duplo longiores, ultimi coarctati, clavam oblongo-ovatam conformantes.

Thorax antice angustior, truncatus, lobulo pone oculos minuto producto, posterius sensim dilatatus, basi bisinuatus, niger, polline flavescenti dorso parcius, ad latera densius, adspersus, convexus, punctis quibusdam in dorso impressis, rugisque pluribus in medio lateris utriusque transversim & flexuose elevatis; sulcus præterea profundior, ad marginem anticum subtus & ad latera thoracem ambiens, in dorso thoracis reflexus, impressiones duas obsoletas format; fovea denique lævis, impunctata, ad basin mediam excavata.

Elytra thoracis basi haud latiora, sed quadruplo longiora, cylindrica, apice submucronata, su-

pra modice convexa, nigra, pulvere flavescente tenuissime, ad apicem densius adspersa, punctato-striata, sulculis ad latus utrumque ante medium quibusdam transversis impressis; fovea ad basin magna communis, cum fovea thoracis conjuncta, excavata, atque a fossula utrinque minori carinula interjecta distincta.

Corpus subtus nigrum, farina flavescenti obsitum.

Pedes nigri, flavo-pollinosi, pilosi; femora antica obtuse dentata; tibiæ unculo armatæ, anticæ basi parum arcuatæ, medio incrassatæ.

26. LIXUS AURICULATUS. *Schönherr.*

L. oblongus, niger, antennis tarsisque rufescentibus, thorace canaliculato bituberculato, elytris punctato-striatis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei.

Longitudine 6 linearum.

Caput minutum, breve, nigrum; frons deflexa, lineola inter oculos longitudinali, abbreviata, impressa. Oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli. Rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, subrectum, nigrum, ore piceo, convexum, basi striolato-rugosum, ad apicem subtiliter punctulatum. Canalicula antennalis sub rostrum inflexa. Antennæ paullo ante medium rostri insertæ, capite cum rostro nonnihil longiores, rufo-ferrugineæ, clava fusca, albido pubescente, tenues, fractæ; articulus 1:us longissimus, versus apicem incrassatus, 2:us crassior, tertiusque inse-

quenti-

quentibus brevissimis duplo longiores; ultimi quatuor in clavam oblongo-ovatam, apice acutam, coarctati.

Thorax latitudine longior, antice paullo angustior, truncatus, lobulo pone oculos productus, posterius sensim dilatatus, basi bisinuatus, supra niger, tenuissime & parce griseo-pubescens, convexus, punctato-rugosus, sulculo longitudinali versus basin profundiori canaliculatus, in medio lateris utriusque tuberculo minuto subacuto armatus, atque pone hoc lineola transversali impressa exaratus.

Elytra thoracis basi paullo latiora, illoque triplo longiora, cylindrica, apice angustata, rotundata, supra nigra, subnitida, squamulis minutissimis cinereis tenuissime adspersa, versus apicem fascia obliqua densius cinereo-squamosa, convexa, punctato-striata, foveola pone angulos scutellares obsolete impressa.

Corpus subtus nigrum, subnitidum, pilis griseis parce adspersum.

Pedes longiusculi, mutici, nigri, griseo-pilosi; tibiæ unculo brevi armatæ; tarsi ferrugineo-rufescentes.

27. Dorytomus petax. *Schönherr.*

D. oblongus, niger, cinereo-squamosus, pedibus clavaque antennarum rufescentibus, rostro arcuato, elytris obsolete punctato-striatis.

Habitat in Tauria. D. *Steven.*

Longitudine 4 linearum. Statura Rh. æthiopi æqualis, sed paullo longior.

Caput breve, nigrum, subtiliter punctulato-rugosum, squamulis griseis parcius obtectum; frons deflexa, lineola brevi longitudinali inter oculos obsolete impressa. Oculi juxta basin rostri insertæ, rotundato-ovati, haud prominuli, nigro-picei. Rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, tenue, medio obsoletissime carinulatum, apice parum deplanatum, nigrum, punctulato-rugosum, griseo-squamulosum. Canalicula antennalis recta, ad oculum extensa. Antennæ longe ante medium rostri infixæ, thoracis basin non attingentes, piceæ, versus apicem rufescentes, parce cinereo-squamosæ, tenues, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus; 2:us & 3:us intermediis brevissimis duplo longiores, obconici; ultimi quatuor in clavam oblongo-ovatam coarctati.

Thorax latitudine haud longior, antice angustatus, truncatus, pone oculos parum protractus, lateribus ante medium dilatatis deinde rectis, basi itidem truncatus, supra convexus, crebre punctatus, linea longitudinali angusta subelevata lævissima, squamulis piliformibus griseis, in medio parcius, ad margines densius obtectus.

Scutellum minutum, rotundatum, squamulis griseis obsitum.

Elytra thorace dimidio latiora & quadruplo fere longiora, cylindrica, apice rotundato angustata, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis punctulato-rugosis, nigra, squamulis griseis dense vestita, punctulis hinc inde obscurioribus rarius squamosis.

Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamis piliformibus griseis undique, sed parcius, vestitum.

Pedes mediocres, mutici, rufescentes, griseo-pilosi; tibiæ ad apicem unculo armatæ.

28. Homalinotus deplanatus. *Schönherr.*

H. ovatus, deplanatus, niger, thoracis elytrorumque lateribus, horumque apice late ferrugineo-squamosis, tarsis ferrugineo-pilosis, tibiis posterioribus ad apicem externe ciliato-cristatis.

Habitat in Brasilia. D. *Christoffersson.*

Corpus, præter rostrum, 8 lineas longum; longitudo rostri 3 linearum. Tab. 2. f. 1.

Caput minutum, rotundatum, nigrum; vertex subtilissime punctulatus, transversimque strigosus; frons deflexa, profundius punctata, punctis subocellaribus. Oculi laterales, subrotundi, haud prominuli, nigri. Rostrum thorace paullo longius, sub thorace inflexum, subarcuatum, nigrum, basi profundius punctato-rugosum, versus apicem subtilius punctatum. Canalicula antennalis recta, ad oculum extensa. Antennæ ante medium rostri insertæ, eodemque paullo longiores, crassiusculæ, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, cæteros omnes æquans, apice incrassatus; 2:us inter mediis brevissimis duplo longior, & 3:us secundo paullo brevior, uterque obconicus; ultimi in clavam angustam oblongo-ovatam coarctati.

Thorax longitudine paullo latior, antice angustatus, capitis latitudinem nonnihil excedens, subemarginatus, pone oculos lobo productus, postice duplo latior, basi media retrorsum productus, supra niger, lateribus rotundato-dilatatis, squamulis ferrugineis dense tectis, verrucis vel pustulis elevatis

nudis, dorso deplanatus, glaber, læviusculus, pustulis obsolete elevatis & confluentibus, punctoque perforatis.

Scutellum subtriangulare, minutum, nigrum, glabrum, subtiliter rugosum.

Elytra basi thoracis latitudine, mox deinde paullulum dilatata, posterius sensim angustata, apice rotundata, nigra, lateribus apiceque late ferrugineo-squamosa, pustulis elevatis nudis, dorso deplanata, punctato-striata, rugis transversis verrucisque elevatis valde rugosa.

Corpus subtus nigrum, opacum, thorace inferiori pectoreque obsolete verrucosis, abdomine parce punctato.

Pedes elongati, verrucoso-rugosi, nigri, tarsis pilis flavo-ferrugineis dense tectis; femora dente elongato acuto instructa; tibiæ omnes compressiusculæ, apice unculo armatæ, anticæ posticæque latere interno medio obsolete, intermediæ vero acute denticulatæ, posteriores versus apicem externe ciliato-cristatæ.

29. Amerhinus Ynca. *Schönherr.*

A. oblongus, niger, squamulis albidis tectus, thoracis verrucis crebrius elytrorumque rarius elevatis nudis, rostro anguste carinulato.

Ameris Ynca. Dejean Catal. d. Coleopt. p. 86.

Habitat in Brasilia. D. *Christoffersson.*

Corpus, præter rostrum 2 linearum, 7½ lineas longum. Tab. 2. f. 2.

Caput mediocre, nigrum, squamis piliformibus cinereis plus minusve tectum; frons inter oculos

depressa, puncto sat profunde impresso. Oculi laterales, subrotundo-ovales, vix prominuli, nigri. Rostrum capite duplo fere longius, deflexum, rectum, crassiusculum, nigrum, subtilissime longitudinaliter striato-rugosum, carinula a basi ad apicem fere ducta angusta elevata. Canalis antennarum subrecta, ad oculum protensa. Antennæ ante medium rostri insertæ, longitudine capitis cum rostro, crassiusculæ, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus; 2:us intermediis 4:o-8:o brevissimis, versus apicem sensim crassioribus, triplo, 3:us vero duplo longior, uterque obconicus; ultimi tres coarctati, clavam ovatam conformantes.

Thorax longitudine latior, antice capitis latitudine, truncatus, pone oculos lobo productus, mox deinde valde & abrupte dilatatus, lateribus rotundatis, postice nonnihil angustatus, basi subtruncatus, supra niger, squamulis angustis albidis obtectus, pustulis crebris elevatis nudis, foveola ad scutellum impressa, unde incipit carinula anguste elevata, ad apicem fere continuata, medio vero in planum subrhomboidale glabrum dilatata.

Scutellum minutum, subrotundum, nigrum, subrugosum.

Elytra thorace plus quam duplo longiora, basique ejusdem latitudine, humeris parum prominulis, mox sensim angustata, apice rotundato-truncata, parum convexa, callo prope apicem satis elevato, nigra, squamulis angustis albidis crebris tecta, pustulis rarius quam in thorace elevatis nudis.

Corpus nigrum, squamulis albidis densis obsitum, subtilissime punctulatum.

Pedes nigri, subnitidi, squamulis albidis hinc inde adspersi, antici elongati; femora crassiuscula, dentata, dentes in intermediis obtusissimi; tibiæ compressæ, subarcuatæ, apice unculo armatæ.

Obs. Maculæ ferrugineæ vel rufescentes, quæ in elytris observantur, ex succo quodam vegetabili, quo forsitan vescitur, & qui pedibus anticis rostroque interdum quoque adhæret, eo potius derivandæ mihi videntur, quo magis & situ & magnitudine inter se discrepant.

30. ODONTODERES CACICUS. *Schönherr.*

O. oblongus, niger, thorace obsolete canaliculato, puncto ad scutellum, lineisque duabus dorsalibus, postice divergentibus, flavo-pilosis, elytris flavescenti-pilosis, maculis lineisque denudatis nigris.

Habitat in Brasilia. D. *Swartz.*

Magnitudine & statura præcedentis. Corpus cum rostro lineas 9 longum. Tab. 2. f. 3.

Caput minutum, nigrum, pilis griseo-flavescentibus adpersum; vertice parum, fronte profundius & crebrius punctatis. Oculi laterales, ovati, nigri, vix prominuli. Rostrum longitudine thoracis cum capite, deflexum, arcuatum, tenue, nigrum, apice & lateribus striolato-rugosum, dorso sulculis quatuor exaratum, lineolis obliquis in sulcis interioribus elevatis. Canalicula antennalis recta, ad oculum extensa. Antennæ ante medium rostri insertæ, longitudine rostri cum capite, tenues, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, cæteros omnes æquans, apice parum incrassatus; 2:us & 3:us obconici, æquales, insequentibus 4:o - - 7:o brevissimis, duplo longiores; ultimi coarctati, clavam oblongo-ovatam constituentes.

Thorax apice vix thorace latior, mox vero valde & abrupte dilatatus, lateribus rotundatis, ad basin iterum paullulum angustatus, antice posticeque truncatus, supra planiusculus, obsolete canaliculatus, tuberculis poro notatis, in dorso minoribus, ad latera vero majoribus, anterius dentiformibus sat crebre elevatis, niger, tenuissime flavescenti-pubescens, puncto ad scutellum lineisque duabus longitudinalibus versus basin extrorsum divergentibus, densissime flavescenti-squamosis.

Scutellum minutum, rotundatum, squamulis piliformibus dense vestitum.

Elytra latitudine thoracis, eoque duplo & dimidio longiora, subcylindrica, apice rotundata, parum convexa, humeris & callo postico prominulis, punctato-striata, rugis inter puncta transversis a basi ad dimidium valde elevatis, postice obsoletis, nigra, squamulis flavescentibus dense vestita, maculis lineisque pluribus denudatis, nigris.

Corpus subtus longitudinaliter inter pedes depresso excavatum, nigrum, flavescenti-pubescens.

Pedes elongati, nigri, tenue pubescentes, tarsis supra flavo infra fulvo-pilosis; femora omnia dente armata; tibiæ compressæ, apice uncinatæ, postice canaliculatæ.

31. Alcides Senex. *Schönherr.*

A. ovato-oblongus, niger, elytris rubris profunde punctato-striatis, thorace verrucoso-coriaceo, pedibus anticis valde elongatis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

Lixo trilobo *Fabr.* affinis, sed dimidio minor. Corpus cum rostro 4 lineas longum.

Caput minutum, subglobosum, punctulatum, nigrum, fronte deflexa, subdepressa, profundius punctato-rugosa. Oculi laterales, oblongo-ovati, haud prominuli, nigri. Rostrum thorace paullo longius, deflexum, cylindricum, subrectum, nigrum, nitidum, dorso subtilissime ad latera vero, supra canaliculam antennalem, profundius punctulatum, apice integrum. Canalis antennarum sub rostrum inflexa. Antennæ longitudine rostri, hujusque medio insertæ, crassiusculæ, nigræ, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus; 2:us & 3:us fere æquales, insequentibus 4:o - - 7:o brevissimis, longiores; clava obovata quadri-articulata, articulo basali valde elongato, obconico.

Thorax antice angustatus, truncatus, pone oculos in lobum obtusum protractus, lateribus rotundatis posterius valde dilatatus, basi plus quam duplo latior, bisinuatus, lobo scutellari acute retracto, niger obscurus, squamulis griseo-flavescentibus hinc inde adspersis, supra valde convexus, tuberculis vel verrucis crebris elevatis coriaceus, ad marginem apicis tantum subtiliter punctato-rugosus.

Scutellum minutum, transversum, nigrum, nitidum, glabrum.

Elytra thoracis basi vix latiora, sed eodem fere triplo longiora, antice lobo magno supra thoracem singulatim porrecta, posterius sensim & paullulum angustata, apice rotundata, rubra, margine basali & laterali anguste nigro, glabriuscula, apice & fascia pone medium communi transversali obsolete

lete flavescenti-pubescentibus, valde convexa, lateribus pone humeros prominulos compressa, sulcato-striata, punctis striarum profunde impressis.

Corpus subtus nigrum, tenue flavescenti-pubescens; pectus inter pedes posteriores tuberculo valido utrinque elevato.

Pedes nigri, punctato-rugosi, antici longissimi; femora clavata, acute dentata; tibiæ apice unculo armatæ.

32. Tylodes Armadillo. *Schönherr.*

T. oblongus, niger, papillis ferrugineis adspersus, tibiis annulo nigro-papilloso, elytris punctato-striatis, transversim sulcatis.

Habitat in Brasilia. D. *Christoffersson.*

Lineas 6 longus. Tab. 1. f. 8.

Caput minutum, breve, nigrum, papillis cylindricis erectis ferrugineis crebre tectum; frons deflexa. Oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominentes. Rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, apice parum dilatatum, subarcuatum, nigrum, papillis cylindricis ferrugineis, a basi ad dimidium longioribus crebrioribusque, versus apicem vero brevioribus & rarioribus, obtectum. Canalicula antennalis sub rostrum inflexa. Antennæ paullo ante medium rostri insertæ, longitudine capitis rostrique, nigræ, articulis apice piceis, tenues, fractæ; articulus 1:us longissimus, apice incrassatus, basi ferrugineo-piceus; 2:us & 3:us insequentibus 4:o - - 8:o paullo longiores, omnes rare pilosi; ultimi valde coarctati, clavam ovatam conformantes.

7

Thorax antice angustior, capite vix latior, truncatus, lobo pone oculos productus, in medio valde dilatatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice truncatus, supra convexus, verrucoso-rugosus, niger, obscurus, papillis ferrugineis obtectus, maculis ad apicem duabus minutis, lineisque quatuor longitudinalibus a medio ad basin ductis denudatis atris, subtus sulco profundo pro recipiendo rostro exaratus.

Elytra thorace vix latiora, sed triplo fere longiora, cylindrica, basi truncata, posterius angustata, apice rotundata, supra convexa, postice valde declivia, profunde punctato-striata, lineis vel rugis transversis a basi prope ad apicem elevatis, adeo ut elytra anterius transversim sulcata appareant, nigra, papillis brevibus ferrugineis, antice in sulcis parcius, ad apicem vero crebrius, adspersa.

Corpus subtus nigrum, papillis griseo-ferrugineis vestitum; pectus incrassatum, postice retusum; abdomen excavato-incurvatum.

Pedes mutici, nigri, papillis griseo-flavescentibus tecti; tibiæ annulo nigro-papilloso cinctæ.

33. Coelosternus balteatus. *Schönherr.*

C. oblongo-ovatus, nigro-fuscus, squamulis flavescenti-albidis obtectus, oculis nigris, rostro nitido, nigro-piceo, fascia elytrorum lata transversa fusca, antennis pedibusque rufescentibus.

Habitat in Insula Americæ S:t Barthelemy. D. *Forsström.*

Longitudo corporis, præter rostrum, 2 fere linearum.

Caput minutum, nigrum, squamulis rotundatis albidis dense tectum. Oculi in fronte approximati, ovales, haud prominuli, nigri. Rostrum thoracis longitudine, pectori applicatum, arcuatum, crassiusculum, nigro-piceum, nitidum, glabrum, subtilissime punctulatum. Antennæ medio rostri insertæ, longitudine capitis rostrique, piceo-ferrugineæ, fractæ, articulo primo longissimo, intermediis brevibus, ultimis clavam ovato-oblongam formantibus.

Thorax antice angustior, margine antrorsum parum productus, lateribus rotundatus, basi latior, bisinuatus, supra convexus, ad apicem transversim impressus, punctulatus, fusco-niger, squamis flavescenti-albidis atque quibusdam fulvis dense tectus, relicta macula in disco posteriori fusca, lineola longitudinali albo-squamosa in duas divisa, subtus canali pro recipiendo rostro exaratus.

Scutellum minutum, punctiforme, dense albido-squamosum.

Elytra thorace plus quam dimidio latiora & triplo longiora, posterius sensim angustata, apice rotundata, valde convexa, humeris subacute prominulis, postice valde declivia, callo ante apicem obtuse elevato, punctato-striata, nigro-fusca, ad basin squamulis albidis ferrugineisque tecta, fascia deinde ad medium extensa, transversa, lata, communi, nudiuscula, fusca, anterius lineola & sutura albido-squamosis interrupta, a medio ad apicem squamis albidis dense tecta, punctulis suturalibus inter callos duabus fusco-squamosis.

Corpus subtus nigrum, squamulis albidis obtectum; pectus anterius excavatum.

Pedes mediocres, piceo-rufescentes, mutici, squamis cinereo-albidis obtecti.

Obs. Species Curculionitum secundum dispositionem Familiæ hujus novam, a sæpius laudato D. SCHÖNHERR elaboratam, quamvis prelo nondum subjectam, enumeratas esse, observare debuimus.

34. CERAMBYX ZONATUS. *Schönherr.*

C. ater, subopacus, thorace subtus & lateribus pube holosericea aureo-fulva, elytris apice truncatis unidentatis, fascia lata transversa pallide ferruginea.

Callidium elegans. Dejean Catal. de Coleopt. p. 110.

Habitat in Brasilia. D. *Spence.*

Habitu Call. sangvineo similis. Longitudine $5\frac{1}{2}$ linearum. Tab. 3. f. 1.

Caput parvum, subquadratum, antice posticeque truncatum, supra inæquale, fronte canaliculata ad apicem bifoveolata, atrum, basi subtus aureo-fulvum, maculaque ante insertionem antennarum pube aurea micante. Os prominulum. Palpi apice testacei, truncati. Oculi laterales, fusco-brunnei, purpureo-micantes, prominentes, introrsum versus antennas parum sinuati. Antennæ longitudine corporis, tenues, filiformes, nigræ; articulus primus cæteris crassior; 2:us minutus, brevissimus; 3:us longissimus, æque ac 4:us - - 7:us apice uno latere dentato-acuminati; ultimi quatuor lineares, submutici.

Thorax longitudine paullo latior, apice basique truncatus, lateribus valde rotundatus, supra convexus, muticus, disco ater holosericeus, lateribus fulvo-aureis, pube holosericea nitentibus, subtus

itidem fulvo-aureus, macula magna laterali, marginem anticum haud attingente, atra.

Scutellum minutum, rotundatum, piceo-brunneum, opacum.

Elytra thorace paullo latiora & quadruplo fere longiora, linearia, apice sinuato-subtruncata, angulo exteriori dente minuto acuto armato, nigra, holosericeo-pubescentia, fascia lata transversa nuda, margineque anteriori tenui suturaque ad fasciam usque testaceis, subtiliter punctulata, dorso planiuscula, lateribus anguste compressis marginatisque, lineis duabus longitudinaliter obsoletissime elevatis, humerisque prominulis.

Corpus subtus atrum, holosericeum.

Pedes mediocres, simplices, mutici, nigri, subnitidi; femoribus posticis apicem elytrorum attingentibus.

35. Dorcadion Sericatum. *Schönherr.*

D. atrum, holosericeum, capite thoraceque albo lineatis, elytris sutura, margine exteriori fossulaque intra humerum albidis, antennis piceis, pedibus rufescentibus.

Habitat in Tauria. D. *Steven.*

Magnitudine & statura Lamiæ pedestri æqualis, sed differt pubescentia holosericea, elytrisque & thorace lævibus. Lineas 6½ longum. Tab. 3. fig. 2.

Caput magnum, crassum, sulculo impresso, tenuissime canaliculatum; vertex convexus, atroholosericeus, lineola longitudinali albido-pilosa; frons deflexa, subnitida, sublititer punctulata. Ocu-

li sinuato-lunati, nigro-brunnei. Antennæ dimidio corpore non nihil longiores, basi crassiores, rufescentes, extrorsum attenuatæ, paullo obscuriores; articulo primo magno, crasso; secundo brevissimo, nodoso; cæteris sensim angustioribus, apice pube atro-holosericea obscurioribus.

Thorax longitudine dimidio fere latior, antice truncatus, postice parum angustatus, basi versus scutellum paullulum retractus, lateribus tuberculo acuto in medio armatis rotundatus, supra convexus, atro-holosericeus, linea dorsali, ab apice ad basin extensa, alba.

Scutellum minutum, semiovale, nigrum, albido-pilosum.

Elytra thorace plus quam triplo longiora, ejusdemque medio basi paullo latiora, pone humeros parum prominulos rotundatos non nihil dilatata, posterius deinde sensim angustata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, atro-holosericea, sutura, margine externo fossulaque intra humeros obsoleta, pube alba dense tectis.

Corpus subtus nigrum, subnitidum, subtilissime punctulatum, cinereo-pubescens.

Pedes validi, breviusculi, rubri, pube albida parce vestiti; femora simplicia; tibiæ compressiusculæ, intermediæ externe pone medium emarginato-dentatæ.

36. Lema bicruciata.

L. elongata, nigra, thorace rufo, lineolis duabus nigris, elytris punctato-striatis, rufo-testaceis, sutura, lineis duabus transversis, punctis ad humeros binis apiceque nigris.

Habitat in Khersoma. D. *Lundstedt.*

L. Asparagi magnitudine & pictura valde affinis; sed differt colore nigro, thorace convexiori, elytris minus elongatis, horumque apice & puncto infra humerum nigris. Longitudo lin. 2½. Tab. 3. fig. 3.

Caput triangulare, nigrum, subtiliter punctulato-rugosum; frons canaliculata. Oculi laterales, subrotundi, antice profunde incisi, valde prominentes, fusco-brunnei. Collum capite angustius, convexum, nigrum, nitidum, subtiliter & parce punctulatum. Antennæ longitudine dimidii corporis, crassiusculæ, nigræ, articulis baseos tribus glabris, nitidioribus, reliquis pubescentibus, magis obscuris.

Thorax latitudine longior, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, ad basin non nihil coarctatus, supra valde convexus, subglobosus, margine postico parum elevato, rufus, nitidus, subtilissime punctulatus, puncto minuto in medio marginis antici lineolisque duabus dorsalibus, nec apicem nec basin attingentibus, nigris.

Scutellum minutum, subtriangulare, nigrum, nitidum.

Elytra thorace duplo latiora, humeris prominulis, rectangulis, illoque triplo longiora, apice rotundata, anum tegentia, supra modice convexa, punctato-striata, punctis propius ad basin extrorsumque paullo profundioribus, rufo-testacea, apice, macula humerali, puncto pone humerum minuto, plaga suturali anterius latiori, fasciisque duabus transversis extrorsum abbreviatis, altera in medio, altera posterius cum sutura cruciatim connexis, nigris.

Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulato-rugosum.

Pedes mediocres, nigri, nitidi, pilis quibusdam brevibus griseis adspersi.

37. Cassida antiqua. *Schönherr.*

C. orbiculata, supra fusco-ænea, subopaca, subtus virescens nitida, elytris in tuberculum elevatis, punctulatis, rugis obsoletis irregularibus leviter cicatricosis.

Habitat in Brasilia. D. *Christoffersson.*

Habitu & structura C. laterali similis, sed differt magnitudine multo majori, colore, elytrisque profundius cicatricosis. Longitudo 5 lin.

Caput sub thorace reconditum, minutum, fronte obscure viridi, canaliculata. Oculi magni, prominuli, fusco-brunnei. Antennæ thorace longiores, versus apicem paullo crassiores, fusco-nigræ, basi subnitidæ, glabræ, apice pubescentes; articulus primus longior crassiorque; secundus minutus, nodosus; insequentes cylindrici, ultimus elongatus, apice attenuatus.

Thorax latitudine dimidio brevior, semicircularis, apice subtruncatus, basi bisinuatus, lobo minuto obtuso versus scutellum retractus, angulis posticis rotundatis, supra dorso convexus, lineola angustissima abbreviata impressa obsolete canaliculatus, lateribus late deplanatus, punctis minutis parce impressis, fusco-æneus, subopacus, subtus virescens, nitidior, margine anguste nitidissimo.

Scu-

Scutellum minutum, apice rotundatum, ad basin sulco profundo, transversim inter margines elevatos impresso, excavatum.

Elytra thorace multo latiora atque triplo longiora, basi flexuoso-subsinuata, angulis, lateribus & apice rotundata. convexo-gibbosa, costa elevata utrinque ex angulo ad suturam oblique adscendente tuberculum commune validum ante medium formante, fusco-ænea, subopaca, parcius punctata, impressionibus lævibus, atque interjectis rugis irregularibus obsolete elevatis cicatricosa, margine dilatato, subtus virescente, nitido. Superficies præterea tota tam elytrorum quam thoracis, oculo acute armato conspecta, confertissime & subtilissime punctulata apparet.

Corpus subtus æneo-virescens, nitidum.

Pedes mediocres, toti æneo-virescentes, nitidi.

38. Cassida axillaris. *Schönherr.*

C. rufo-testacea, antennarum apice fusco, thorace elytrisque luteis, horumque margine basali exteriori sangvineo, sulcato.

Habitat in Brasilia. D. *Spenc*.

Magnitudine C. emarginatæ; 5 lin. longa. Tab. 3. f. 4.

Caput sub thorace absconditum, minutum, subtiliter punctulatum, rufo-testaceum, fronte sulcata, vertice luteo. Oculi ovato-oblongi, nigri, prominuli. Antennæ thorace longiores, articulis quinque primis, basali scilicet incrassato longiori, secundo minuto nodoso, tertio quartoque cylindricis, at-

que quinto, apice parum dilatato, rufo-testaceis, insequentibus vero fusco-nigris, compresso-dilatatis, ultimo elongato angustiori.

Thorax semicircularis, longitudine plus quam duplo latior, apice subtruncatus, basi flexuoso-sinuatus, lobulo scutellari acute retracto, margine vero basali versus latera antrorsum ducto, disco convexus, limbo angustius deplanatus, supra flavus, margine baseos tenuissime piceo, subtus obscure rufo-testaceus, limbo late flavo.

Scutellum minutissimum, immersum, punctiforme, nigro-piceum, nitidum.

Elytra thorace multo latiora atque fere triplo longiora, basi late & profunde emarginata, angulis lateralibus antrorsum valde productis obtusis, lateribus anterius rectis, posterius vero cum apice circulariter rotundatis, supra disco convexa, foveola juxta humerum elevatum ad basin leviter impressa, limbo latissimo magis deplanata, canali sub humero incipiente & ad angulum anticum excurrente profunde & sat late excavata, crebre punctulata, lutea, sutura & margine baseos, tenuissime crenulato, angustissime nigro-piceis, canali vero angulari supra infraque sangvinea.

Pectus & abdomen rufo-testacea, nitida, margine abdominis tenuissime luteo.

Pedes mediocres, rufo-testacei.

39. CASSIDA DIAPHANA.

C. orbiculata, testacea, pectore & oculis nigris, elytris disco pallide virescenti punctato-striato,

tuberculato, limbo elytrorum extremo, thoracisque omni, testaceo-pallucido.

Habitat in Sierra Leona Africæ. D. *Afzelius.*

C. St. Crucis affinis; sed differt absentia fasciæ elytrorum nigræ, punctulis striarum subtilioribus, tuberculoque suturali magis elevato. Longitudo 4 circiter lin. Tab. 3. f. 5.

Caput sub thorace occultatum, pallide testaceum, fronte obsolete sulcata. Oculi oblongi, magni, prominuli, nigri. Antennæ testaceæ, thorace paullo longiores.

Thorax latitudine dimidio brevior, semicircularis, angulis rotundatis, basi bisinuatus, lobulo ad scutellum producto subtruncato, supra disco convexus, testaceo-virescens, lævissimus, nitidus, limbo late deplanato, testaceo, pellucido, versus lucem conspecto circulis vel lineolis anastomosantibus reticulato, superficie tamen superiori atque inferiori lævissima, margine anguste elevato.

Scutellum triangulare, testaceo-virescens, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace multo latiora & fere triplo longiora, basi sinuata, angulis antrorsum parum productis obtusis, lateribus & apice circulariter rotundata, disco flavo-virescentia, convexa, in tuberculum sat magnum mox pone scutellum commune elevata, humeris prominentibus, basi lævissima, pone tuberculum vero & humeros punctis in series dispositis, ad suturam subtilissime, exterius vero paullo profundius, impressis, limbo omni pellucido, lævissimo, introrsum flavo-fenestrato, margine autem omni testaceo, ad lucem reticulato.

Corpus subtus testaceum, nitidum, pectore inter insertionem pedum nigro.

Pedes mediocres, testacei, nitidi; tarsi virescentes.

40. CASSIDA CORRUGATA. *Schönherr.*

C. ovata, nigra, supra rugosa, capite, antennarum basi, thorace elytrisque cupreis, dorso elytrorum profunde cicatricoso

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

C. clathratæ *Fabr.* affinis, sed minor. Longitudo 4 linearum.

Caput minutum, sub thorace absconditum, fronte inter oculos canaliculata. Oculi oblongi, prominuli, nigri. Antennæ thorace longiores, versus apicem parum incrassatæ; articulus primus magnus crassior, secundus minutus nodosus, utrique cuprei; 3:us - 6:us cylindrici, ultimique quinque parum dilatati, pubescentes, omnes nigri.

Thorax longitudine duplo-latior, anterius rotundatus, apice subemarginato truncatus, postice bisinuatus, lobo ad scutellum obtuso retractus, angulis subrectis, supra obscure cupreus, disco convexus, rugis irregularibus elevatis plerumque longitudinalibus strigosus, lateribus dilatatis, deplanatis, profunde rugosis.

Scutellum minutum, triangulare, subimmersum, obscure cupreum.

Elytra thorace latiora & triplo fere longiora, basi sinuata, angulis antrorsum parum productis obtusis, lateribus sensim angustata, apice rotundata, supra obscure cuprea, disco convexa, introrsum fo-

vea ad scutellum utrinque ovali, lineolis elevatis divisa, foveolisque pluribus, a costis duabus præter suturalam longitudinalibus, pluribusque transversis reticulato-elevatis nitidis, formatis, profunde cicatricosa, exterius vero punctis in series dispositis excavatis & lineolis elevatis rugosa, limbo itidem profunde rugoso.

Corpus supra ferrugineo-cupreum, subtus nigrum, margine abdominis anguste ferrugineo.

Pedes mediocres, nigri, subnitidi.

41. GALLERUCA LANIO. *Dalman.*

G. oblonga, sangvinea, nitida, antennis, elytris, apice femorum, tibiis tarsisque nigris.

Habitat in Brasilia. D. *Spence.*

G. Cayennensi habitu valde similis, sed differt magnitudine majori, colore corporis sangvineo, antennisque totis nigris, 6 lineas longa. Tab. 3. f. 7.

Caput crassum, rotundatum, apice truncatum, convexum, tenue canaliculatum, deflexum, sangvineum, mandibulis nigris nitidum, subtilissime punctulatum Oculi parvi, ovati, vix prominuli, fusci, rufo-tessellati. Antennæ prope ad os insertæ approximatæ, dimidio corpore longiores, nigræ, pube griseo-flava rarius adspersæ; articulus primus magnus, obconicus, secundo brevissimo triplo longior; tertius cylindricus, primo adhuc paullo longior; quartus parum obconicus, longitudine primi, cæteri breves, nonnihil dilatati, subæquales.

Thorax transversus, longitudine plus duplo latior, antice late subemarginatus, angulis anticis pa-

rum prominulis, lateribus rotundato-dilatatus, postice subtruncatus, supra sangvineus, nitidissimus, glaber, subtiliter & parce punctulatus, convexus, margine laterali elevato reflexo, inæqualis, sulco in medio transverso ad latera profundiori, foveolisque ad scutellum & ad angulos omnes levioribus impressis.

Scutellum posterius angustatum, apice rotundato-truncatum, sangvineum, subtiliter punctulatum, pilis pallidis rarioribus adspersum.

Elytra magna, thorace quintuplo longiora eodemque basi mox latiora, humeris rotundatis, pone medium dilatata, apice obtuse rotundata, supra convexa, anguste marginata, atra, subnitida, subtilissime & creberrime punctulata, ad latera pube rarissima adspersa.

Corpus subtus sangvineum, subtilissime punctulatum, pube griseo-flavescente adspersum.

Pedes longiusculi, simplices, pube griseo-flavescente adspersi, nigri, femoribus a basi ultra medium sangvineis.

42. GALLERUCA SILPHOIDES. *Dalman.*

G. oblongo-ovata, subdepressa, nigra, thorace brevissimo, elytrisque abbreviatis, apice singulatim rotundatis, rufo-testaceis, crebre punctatis.

Gall. rufa, Steven in litt.

Habitat in Caucaso. D. *Steven.*

Magnitudine G. rusticæ, sed angustior & magis depressa. Longitudo 4 lin.

Caput breve, subrotundatum, apice truncatum, nigrum, nitidum, parcius sed sat profunde puncta-

tum, lineola angustissime impressa canaliculatum. Oculi subrotundi, fusco-brunnei, parum prominuli. Antennæ prope ad os insertæ, corpore dimidio parum longiores, nigræ, versus apicem subpubescentes, articulo primo cæteris longiori obconico, secundo minuto nodoso, 3:o - - 10:o subobconicis, extrorsum gradatim paullo brevioribus, ultimo iterum longiori conico-elongato.

Thorax brevis, longitudine plus duplo latior, antice subtruncatus, lateribus in medio rotundato-dilatatus, basi media subemarginatus, supra rufo-testaceus, subnitidus, glaber, crebre & profunde punctatus, subdepressus, margine laterali tenue elevato, inæqualis, canalicula dorsali, & fovea discoidali, utrinque sat magna, impressis.

Scutellum longitudine latius, apice rotundato-subtruncatum, nigrum, nitidissimum, basi punctis quibusdam impressis, ad apicem obsolete foveolatum.

Elytra basi thoracis medio vix latiora sed illo quadruplo longiora, apicem abdominis tamen non tegentia, postice dilatata, apice singulatim obtuse rotundata, supra rufo-testacea, subnitida, parum compressa, lateribus apiceque tenue marginata, & sat profunde punctata, sutura costisque duabus longitudinalibus, altera propius ad suturam, altera infra humerum rotundatum incipiente, parum elevatis.

Corpus subtus nigrum, nitidum, subtilissime rugulosum, thoracis lateribus, marginibusque segmentorum plurium vel pauciorum supra infraque testaceis; segmento tamen ultimo immaculato.

Pedes mediocres, nigri, nitidi, subtilissime punctulati.

43. CRIOCERIS MUTABILIS. *Schönherr.*

C. oblongo-ovata, convexa, pallide testacea, nitida, punctulata, antennis apice tibiisque infuscatis, elytris atris, thorace æquali, scutello lævi.

Var. b. Antennis apice parum infuscatis, elytris basi tantum atris.

Var. c. Pallide testacea, immaculata, oculis tantum nigris.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius.*

Magnitudine & habitu Gall. Alni æqualis; 3 lineas longa. Tab. 3. fig. 8, 9, 10.

Caput breve, subrotundatum, apice truncatum, pallide testaceum, nitidum, inæquale, sulco transverso inter oculos profunde impresso. Oculi minuti, globosi, prominuli, nigro-fusci. Antennæ longitudine dimidii corporis, ad latera oculorum insertæ, filiformes, tenues, pallidæ, articulis tribus ultimis fuscis; articulus primus cæteris longior crassiorque, secundus minutus, nodiformis, insequentes paullo longiore, obconici, ultimus apice acuminatus.

Thorax brevis, longitudine plus duplo latior, antice multo angustior, late emarginatus, angulis anticis antrorsum parum productis, lateribus rotundato-dilatatus, basi latior, rotundato subtruncatus, angulis posticis obtusis, supra convexus, æqualis, margine laterali elevato reflexo, pallide testaceus, nitidissimus, subtilissime punctulatus.

Scutellum subtriangulare, apice obtusum, pallidum, nitidissimum, læve.

Ely-

Elytra thorace paullo latiora sed quadruplo fere longiora, ad humeros parum prominulos & apice rotundata, supra convexa, lateribus anguste marginata, atra, nitidissima, subtiliter crebreque punctulata.

Corpus subtus pallide testaceum, nitidum, punctulatum, tenue pubescens.

Pedes pallide testacei, nitidi, punctulati, tenue pubescentes; tibiarum apex tarsique infuscati.

Var. b. differt elytris basi tantum, ad quartam longitudinis partem, atris, colore thoracis elytrorumque magis rufo-testaceo, atque antennarum apice tarsisque minus infuscatis.

Var. c. Pallide testacea tota, tarsi tantum infuscati.

44. Crioceris apicalis.

C. oblongo-ovata, sangvinea, nitida, supra glabra, subtus pubescens, antennis tibiisque flavopallidis, elytris atris, apice sangvineis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. D. *Afzelius*. 2½ lin. longa. Tab. 4. f. 1.

Caput breve, antice truncatum, sangvineum, nitidum, punctis in vertice quibusdam subtilissimis, sulcoque transversali inter oculos profundo impressis. Oculi globosi, prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore longiores, in medio frontis ad latera oculorum insertæ, tenues, filiformes, pallide flavæ, subpubescentes; articulus primus magnus obconicus; 2:us, 3:usque minuti, nodiformes; 4:us - - 10:us subcylindrici, extrorsum non nihil breviores; ultimus acuminatus fuscescens.

Thorax transversus, longitudine duplo latior, antice truncatus, postice vix dilatatus, basi media truncatus, versus angulos antrorsum protractus, lateribus subrectis marginatis, supra modice convexus, foveola discoidali utrinque obsolete impressa, sangvineus, nitidissimus, subtilissime punctulatus.

Scutellum triangulare, sangvineum, nitidum, lævisimum.

Elytra thorace quadruplo longiora, eodemque basi dimidio fere latiora, postice parum dilatata, apice & ad humeros obtuse rotundata, abdominis segmentum ultimum non tegentia, angulo apicis interno itidem parum rotundato, supra convexa, humeris parum prominulis, lateribus anguste marginata, subtilissime punctulata, nigra, nitidissima, glabra, apice sangvinea.

Corpus subtus sangvineum, nitidum, subtilissime punctulatum, pubescens.

Pedes mediocres, pubescentes; femora sangvinea, nitida, subtilissime punctulata; tibiæ tarsique pallide testacei.

45. Crioceris limitata.

C. oblongo-ovata, pallide testacea, capite, scutello, fasciis maculisque elytrorum, pectore, tibiis & tarsis nigris, fasciis elytrorum impressione limitatis.

Habitat in Brasilia. D. *Kreüger.*

Gall. arcuatæ *Oliv.* affinis; lin. 3½ longa. Tab. 4. f. 2.

Caput breve, rotundatum, apice truncatum, nigrum, nitidum, inæquale, carinula ante os ele-

vata, atque canalicula inter oculos longitudinali cum impressione transversa crucem formante. Oculi globosi, valde prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore multo longiores, filiformes, basi testaceæ, extrorsum piceo-fuscescentes; articulus primus cylindricus; 2:us minutus, nodiformis; 3:us paullo longior; 4:us - - 10:us elongati, cylindrici, extrorsum sensim fusciores; ultimus acuminatus.

Thorax longitudine dimidio latior, apice truncatus, angustior, mox deinde rotundato-dilatatus, ante angulos posticos subsinuatus, basi in medio truncatus, ad latera antrorsum parum protractus, supra convexus, lateribus margine elevato, flavo-testaceus, nitidus, lævis.

Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace quadruplo longiora, illoque basi dimidio latiora, extrorsum adhuc magis dilatata, apice obtuse rotundata, supra convexa, humeris valde prominentibus, lateribus marginata, subtiliter & crebre punctulata, ultra dimidium testaceo-pallida, posterius pallide flavescentia, fasciis duabus transversis, altera inæquali ante medium, altera vero pone medium sita in maculas duas anguste confluentes divisa, utrisque circumferentia impressa limitatis, nigris; maculæ præterea tres ad basin in lineam dispositæ, quarum duæ humerales, tertia vero ad scutellum communis, punctumque utrinque pone fasciam posteriorem juxta suturam minutum, nigra conspiciuntur.

Corpus subtus pallide testaceum, nitidum, tenue pubescens, pectore nigro.

Pedes longiusculi, pubescentes, femoribus flavo-testaceis, tibiis tarsisque nigris.

46. Crioceris pulchra.

C. oblongo-ovata, albido-flavescens, thorace femoribusque lætius flavis, capite, medio antennarum, tibiis tarsisque, apice elytrorum, fasciisque tribus transversis nigris.

Habitat in Honduras Americæ Septentrionalis. D. *Westfelt*.

Longitudine 2½ linearum. Tab. 4. f. 3.

Caput subtriangulare, apice truncatum, nigrum, nitidum, vertice lævissimo, fronte inter oculos sulculo impressa. Oculi subglobosi, valde prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore multo longiores, filiformes, pubescentes; articulus primus elongatus, obconicus, flavescens; 2:us minutus, nodosus, tertiusque paullo longior, picei; 4:us - - 8:us nigri, subcylindrici, æquales; 9:us & 10:us albi; ultimus acuminatus, apice niger, basi albus.

Thorax longitudine paullo latior, antice truncatus, angulis subrectis, lateribus medio rotundatis postice subsinuatis marginatus, flavus totus, supra modice convexus, nitidus, lævissimus.

Scutellum triangulare, rufo-piceum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace quadruplo longiora eodemque basi dimidio latiora, posterius parum dilatata, apice rotundata, supra modice convexa, humeris sat prominulis, lateribus marginata, subtiliter punctulata, cinereo-albida, nitida, apice fasciisque tribus, quarum prima in ipsa basi sita est, æquali spatio a se

invicem remotis, nec suturam nec marginem attingentibus, nigris.

Pectus & abdomen griseo-flava, subtilissime punctulata, tenuissimeque pubescentia.

Pedes longiusculi, tenue pubescentes, femoribus flavis, tibiis tarsisque nigris.

47. Crioceris duplicata.

C. oblongo-ovata, nitida, pallide flava, capite thoraceque rufis, elytris basi fasciaque transversa nigris.

Habitat in Sierra Leona Africæ. D. *Afzelius.*

Cr. elatæ *Fabr.* affinis, sed differt capite & thorace rufis, pectoreque pallido. Lin. 2½ longa. Tab. 4. f. 4.

Caput rotundatum, ante os truncatum, nitidum, læve, rufum, ad apicem magis pallescens, sulco transverso inter oculos impressum. Os pallide flavum. Oculi rotundati, prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore multo longiores, in media fronte sitæ, tenues, filiformes, pubescentes, pallide flavæ; articulo primo cæteris longiore, subobconico; 2:o atque 3:o brevioribus; reliquis elongatis subcylindricis; apicali acuminato.

Thorax longitudine dimidio latior, antice truncatus, angulis anticis lateribusque rectis, postice rotundato-subtruncatus, angulis posticis obtusis, supra modice convexus, lateribus tenue marginatis, subtilissime punctulatus, totus rufus, nitidus, glaber.

Scutellum triangulare, pallide flavum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace quadruplo longiora, & dimidio latiora, basi humeris rotundatis parum angustata, postice angulo interno utriusque elytri obtuso, ut apice singulatim fere rotundata appareant, supra modice convexa, lateribus anguste marginata, humeris prominulis, subtiliter punctulata, pallide flava, nitida, glabra, basi fasciaque mox pone medium transversa nigris.

Pectus & abdomen subtus pallide flava, subtilissime punctulata, pubescentia.

Pedes mediocres, pallide flavi, pubescentes.

48. Crioceris litterata.

C. pallide flavescens, ore, antennarum medio pectoreque fuscis, elytris, sutura baseos signaturisque duabus semicircularibus coerulescentibus.

Habitat in Mexico. D. *Westfelt.*

Cr. fucatæ habitu & magnitudine æqualis, sed colore diversa. Lin. 3 longa. Tab. 4. f. 5.

Caput subrotundum, ante os truncatum, pallide flavescens, vertice lævi, fronte sulculo inter oculos longitudinali impressa. Os fuscum. Oculi magni, globosi, valde prominentes, nigri. Antennæ dimidio corpore longiores, tenues, filiformes, subpubescentes; articulus primus major, obconicus, secundus brevissimus nodosus, tertiusque secundo paullo longior obconicus, omnes tres pallide flavi; quartus & quintus elongati brunnescentes; 6:us - - 8:us æquales, fusci; ultimi tres, quorum apicalis acuminatus, pallide flavi.

Thorax longitudine paullo latior, antice truncatus, angulis rectis, lateribus vix rotundatis mar-

ginatus, basi itidem truncata versus angulos tamen antrorsum parum producta, totus pallide flavescens, supra modice convexus, foveolis discoidalibus binis sat profunde impressis.

Scutellum triangulare, pallide flavum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace quadruplo longiora, illoque basi dimidio latiora, posterius dilatata, ad humeros prominulos apiceque rotundata, supra convexa, lateribus marginata, crebre & subtiliter punctulata; pallide flava, sutura a basi ad quartam elytri partem, signaturisque duabus semicircularibus, altera supra humerum sita, litteram C formans, altera interrupta, ex lineis duabus superne versus se invicem flexis, punctoque interjacente, composita; cærulescentibus.

Pectus fuscum, abdomen pallide flavum; utrumque pubescens, subnitidum.

Pedes mediocres, pallide flavescentes, pubescentes.

49. CRIOCERIS SEMICINCTA.

C. oblongo-ovata, nigra, capite, thorace, elytris margine apiceque & pedibus testaceo-rufis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

Lineas vix 2 longa. Tab. 4. f. 6.

Caput rotundatum, apice truncatum, rufum, nitidum, glabrum, fronte inter antennas sulculo abbreviato impressa. Oculi globosi, prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore longiores, tenues, filiformes, rufescentes; articulus primus longior,

obconicus; 2:us & 3:us brevissimi; cæteri subæquales.

Thorax longitudine paullo latior, lateribus parum rotundatis, postice subtruncatus, angulis omnibus subacutis, totus rufus, nitidus, lævissimus, supra valde convexus, anguste marginatus.

Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace dimidio latiora atque fere quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, lateribus anguste marginata, humeris parum prominulis, subtiliter punctulato-rugosa, nigra, margine laterali, maculaque apicis lata, juxta suturam ad medium fere elytri antrorsum adscendente, sensim evanescente, testaceo-rufis.

Pectus & abdomen nigra, subtiliter punctulata, tenue pubescentia.

Pedes mediocres, pubescentes, testaceo-rufi.

50. Crioceris neglecta.

C. oblongo-ovata, testacea, ore, antennisque extrorsum nigris, elytris maculis duabus maximis albis.

Habitat in India Orientali. D. *Kymell*.

Lin. 1½ longa. Tab. 4. f. 7.

Caput subtriangulare, ante os truncatum, lineola transversa inter oculos levius impressa, rufo-testaceum, nitidum, læve. Os nigrum. Oculi globosi, prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore longiores, tenues, filiformes, subpilosæ; articulus primus

primus cæteris longior, obconicus, atque duo insequentes brevissimi, omnes tres testacei; reliqui elongati, cylindrici, nigro-fusci; ultimus apice acutus.

Thorax longitudine duplo latior, antice truncatus, angulis rectis, postice rotundato-subtruncatus, angulis posticis obliquis, lateribus anguste marginatis vix rotundatus, supra modice convexus, rufo-testaceus, nitidus, sublævis.

Scutellum triangulare, rufo-testaceum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace quadruplo longiora atque plus quam dimidio latiora, apice obtuse & singulatim rotundata, supra convexa, lateribus anguste marginata, rufo-testacea, nitida, subtilissime punctulata, macula utrinque magna humerali alteraque adhuc majori, totum fere discum elytri posteriorem occupante, albis.

Corpus subtus rufo-testaceum, pectore paullo obscuriori, nitidum, subtilissime punctulatum, pubescens.

Pedes mediocres testacei, pubescentes; tarsi fusci.

51. CHRYSOMELA GENICULATA. *Illiger* in litt.

C. gibbosa, supra nigra, subtus nigro-picea, creberrime inæqualiter punctata, femoribus rufis, apice, tibiis tarsisque cœrulescenti-cyaneis.

Trimarcha geniculata. Hoffm. Dejean Catal. d. col. p. 122.

Habitat in Hispania.

C. coriariæ habitu similis, sed minor; lin. 4 longa; mas paullo minor.

Caput rotundatum, ante os truncatum, nigrum, punctatum, fronte depressa, inæqualiter punctato -subrugosa. Oculi laterales, transversi, angustato-oblongi, vix prominuli, brunnei. Antennæ ante oculos insertæ, thorace longiores, moniliformes, crassiusculæ, basi nigro-violaceæ, nitidæ, extrorsum fusco-nigræ, pubescentes; articulus primus magnus, clavatus; 2:us - - 10:us nodiformes, extrorsum paullatim crassiores; ultimus longior, ovato-acuminatus.

Thorax transversus, longitudine duplo latior, antice late & circulariter non vero profunde emarginatus, lateribus ante medium parum dilatatus, posterius non nihil angustatus, basi truncatus, angulis posticis subrectis, supra niger, subnitidus, modice convexus, undique tenue marginatus, subtiliter & crebre punctulatus.

Scutellum longitudine triplo latius, subtriangulare, nigrum, nitidum, læve.

Elytra magna, thorace fere dimidio latiora & quadruplo longiora, lateribus ovato-dilatata, dupliciter marginata, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, nitida, creberrime punctata, punctis inæqualibus, aliis majoribus, aliis minoribus, inter se invicem irregulariter mixtis.

Corpus subtus piceo-nigrum, punctatum, subnitidum.

Pedes longiusculi, validi, nitidi; femora rufa, punctis imprimis ad basin quibusdam impressis, apice cyanea; tibiæ versus apicem incrassatæ, cre-

brius punctatæ, coerulescenti-cyaneæ; tarsi cum tibiis concolores, in mare magis dilatati.

52. CHRYSOMELA CRUCIGERA. *Schönherr.*

C. ovata, nigro-coerulescens, nitida, thorace luteo, macula disci magna antice emarginata, virescenti nigra, elytris luteis, sutura lineaque transversa itidem virescenti-nigris.

Habitat in Brasilia. D. *Swartz.*

C. stauropteræ *Wied.* affinis, sed differt pictura elytrorum, punctis thoracis subtilioribus, atque in elytris haud regulariter seriatis. Lin 4 longa. Tab. 4. f. 8.

Caput subtriangulare, virescenti-nigrum, punctulatum, ante os depressum, fronte sulculo longitudinali impressa. Oculi angustato-oblongi, transversi, laterales, brunnei. Antennæ longitudine dimidii fere corporis, crassiusculæ, nigræ, apice pubescentes; articulus primus crassior, secundus brevior nodosus, atque tertius elongatus, piceo-nigri; 4:us - - 10:us extrorsum gradatim majores; ultimus oblongus, acuminatus.

Thorax transversus, longitudine duplo latior, antice late & profunde emarginatus, angulis anticis valde productis acutis, lateribus tenue marginatis parum rotundatus, basi subbisinuatus, angulis posticis rectis, supra convexus, punctis in dorso paucis subtilissimis, in lateribus vero profundioribus atque paullo crebrioribus impressis, luteus, nitidus, macula disci magna, antrorsum emarginata, virescenti-nigra.

Scutellum triangulare, apice rotundatum, nigrum, nitidum, lævissimum.

Elytra thorace paullo latiora sed plus quam quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, punctulata, punctis irregulariter subseriatis, lutea, sutura tota lineaque transversa, pone medium oblique ducta, nec marginem nec suturam attingente, virescenti-nigris.

Pectus & abdomen nigro-coerulescentia, marginibus segmentorum angustissime testaceis.

Pedes mediocres, coerulescentes, nitidi.

53. CHRYSOMELA SALVIÆ. *Dejean.*

C. ovata, coerulescens, thorace scutelloque dupliciter, elytris vero tripliciter punctulatis, punctis profundissimis elytrorum in series per paria approximatas dispositis.

Habitat in Dalmatia. D. *Dejean.*

C. geminatæ valde affinis, sed differt magnitudine majori, colore minus violaceo, scutello punctato, atque imprimis tota superficie superiori oculo acute armato subtilissime & creberrime punctulata. Lin. 3½ longa.

Caput breve, rotundatum, violaceo-coeruleum, subtiliter & parce punctatum, fronte sulculo abbreviato, in angulo linearum duarum ante os profunde impressarum desinente, leviter exarata. Oculi magni, transversi, nigro-brunnei. Antennæ thorace paullo longiores, nigræ, basi nitidæ, extrorsum pubescentes, articulo primo crasso, 2:o - - 10:o versus apicem sensim crassioribus, ultimo ovato, acuto.

Thorax transversus, longitudine plus quam duplo latior, antice late & profunde emarginatus, angulis anticis antrorsum productis, acutis, postice

rotundato-subbisinuatus, angulis fere rectis, lateribus parum rotundatus, anguste marginatus, supra convexus, margine incrassato, violaceo-coerulescens, subtiliter punctatus.

Scutellum rotundato-triangulare, violaceo-coerulescens, nitidum, subtiliter punctatum.

Elytra thorace paullo latiora sed quadruplo fere longiora, apice rotundata, supra convexa, cærulea, punctis crebris minoribus vage adspersis, majoribus vero in series per paria approximatas dispositis. Præter puncta vero jam nominata, superficies capitis, thoracis, scutelli elytrorumque tota, punctulis subtilissimis & creberrimis, nec nisi oculo acute armato conspicuis, quasi reticulato strigosa apparet.

Corpus subtus cœrulescens, nitidum, læve.

Pedes mediocres, cœrulescentes, nitidi, punctis quibusdam impressis; tarsi subtus ad latera griseo-spongiosi, medio longitudinaliter glabri, nitidi.

54. CHRYSOMELA CIRCUMCINCTA.

C. rotundato-ovata, cœrulea, ore, antennarum basi, margineque thoracis & elytrorum testaceo-rufis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius.*

C. Senegalensi affinis, sed differt corpore magis rotundato, margine thoracis haud incrassato atque puncto nigro in lateribus ejusdem nullo. Lin. 2½ longa. Tab. 4. f. 9.

Caput breve, rotundatum, cœrulescens, subtilisssme punctulatum, ante os foveola semicirculari impressum. Oculi laterales, transversi, brunnei. Antennæ thorace paullo longiores, extrorsum cras-

siores; articulus primus magnus clavatus, & 2:us - - 5:us sensim breviores, rufescentes; 6:us - - 10:us extrorsum gradatim crassiores, & ultimus ovato-acuminatus, nigri, pubescentes.

Thorax basi longitudine plus quam duplo latior, antice angustior, profunde rotundato-emarginatus, lateribus versus basin rotundato-dilatatus, postice parum rotundatus, supra convexus, subtilissime punctulatus, lineola media obsoleta sublævi, disco viridi-cœrulescens, lateribus supra infraque late testaceo-rufis.

Scutellum triangulare, viridi-cærulescens, nitidum, subtilissime punctulatum.

Elytra thorace quintuplo longiora, illoque basi paullo latiora, mox deinde ovato-dilatata, versus apicem rotundata, supra valde convexa, subtiliter & crebre punctulata, cærulea, margine angustius quam in thorace testaceo-rufa.

Pectus & abdomen cærulea, nitida.

Pedes cærulescentes, nitidi, femoribus ad basin piceis.

55. EUMOLPUS AZUREUS. *Schönherr.*

E. azureo-cœrulescens, antennarum medio pedibusque cœruleo-virescentibus, vertice valde gibboso-elevato, thorace subtilissime punctulato.

Habitat in Guinea. D. *Colsman.*

E. *cyaneo* affinis, sed differt magnitudine minori, structura verticis atque thorace subtilius punctulato. Lin. 5. longus.

Caput sub thorace retractum, cyaneum, subtiliter punctulatum; vertex in tuberculum magnum, sulco utrinque profundo ab oculis distinctum, abrupte elevatus. Oculi ovati, laterales, brunnei. Antennæ longitudine dimidii fere corporis, versus apicem compresso-dilatatæ; articulus primus crassus, ovatus, & secundus brevis, nigri; 3:us - - 6:us virescentes, obconici; 7:us virescens, 8:us - - 10:us azurei, omnes versus apicem gradatim magis compresso-dilatati, subtilissime punctulati; ultimus maximus, obtuse acuminatus.

Thorax antice angustior, late emarginatus, angulis parum productis, subacutis, posterius sensim dilatatus, basi subtruncatus, undique anguste marginatus, supra valde convexus, lateribus subcompressus, azureo coerulescens, subtilissime punctulatus.

Scutellum rotundato-triangulare, azureo-coerulescens, lævissimum, basi foveola punctiformi excavatum.

Elytra thorace dimidio latiora & fere quadruplo longiora, cylindrica, apice rotundata, supra convexa, humeris valde prominulis, tenue marginata, azureo-cœrulea, nitidissima, subtiliter vage punctulata; stria suturali ad apicem tenue impressa.

Corpus subtus cœrulescenti-azureum, nitidum.

Pedes cyaneo-virescentes, femoribus profunde punctatis, tibiis costato-angulatis.

56. Clythra varians. *Sturm.*

C. viridis, nitidissima, antennis fuscis, fronte foveolata, thorace lævi, margine elevato punctato-rugoso, elytris subtilissime punctulatis.

Dejean. Catal. d. Coleopt. p. 126.

Var. b. Coeruleo-virescens.

Habitat in Brasilia.

Magnitudine C. quadripunctatæ æqualis. Lin. 4. longa.

Caput retractum, rotundatum, viride, nitidum, subtiliter punctulatum, fovea inter oculos profunde excavata. Oculi oblongi, transversi, parum prominuli, brunnei. Antennæ thoracis basin vix attingentes, extrorsum serratæ; articulus primus clavatus, virescens; secundus itidem virescens & tertius fuscus, breves, nodosi; reliqui omnes fusci, compresso-dilatati; ultimus ovatus acuminatus.

Thorax transversus, longitudine duplo latior, antice late emarginatus, basi bisinuatus, lobo versus scutellum retracto obtuse rotundato, angulis omnibus obtusis, supra convexus, lateribus parum rotundatis late, basi vero anguste marginatus, margine laterali elevato reflexo punctato-rugoso, cæterum lævis, æneo-virescens, nitidissimus.

Scutellum elongatum, subtriangulare, convexiusculum, æneo-virescens, nitidum, læve.

Elytra thorace parum latiora, sed plus quam triplo longiora, cylindrica, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, humeris prominulis, æneo-virescentia, nitida, subtilissime punctulata.

Corpus subtus virescens, nitidum, subtilissime punctulatum, pilis griseis obsitum.

Pedes mediocres, virides, nitidi, pilis griseis adspersi.

Var. b. non nisi colore corporis cœruleo-virescenti differt.

Expli-

Explicatio Tabularum.

Tabula I.

Fig. 1. *Lampyris diſcoidea*, aucta, menſura longitudinis adjecta.
— 2. *Copris cornigera*, mas.
— 3. *Copris cornigera*, femina.
— 4. *Melolontha æruginoſa.*
— 5. *Rutela Hiſtrio.*
— 6. *Akis granulifera.*
— 7. *Helops opacus.*
— 8. *Tylodes Armadillo.*

Tabula II.

Fig. 1. *Homalinotus deplanatus.*
— 2. *Amerhinus Ynca.*
— 3. *Odontoderes Cacicus.*
— 4. *Laſiopus cilipes.*
— 5. *Alocorhinus clericus*, auctus, menſura longitudinis latitudinisque adjecta.
— 6. *Platyomus nodipennis.*
— 7. *Phaops Thunbergii*, auctus, addita menſura magnitudinis.
— 8. *Phaops Albugo*, auctus, adjecta magnitudinis menſura.
— 9. *Chlorophanus fallax*, auctus, menſura longitudinis latitudinisque adjecta.
— 10. *Cycloderes catarractus*, auctus, adjecta menſura magnitudinis.
— 11. *Lixus Sitta.*

Tabula III.

Fig. 1. *Cerambyx zonatus.*

Fig. 2. *Dorcadion ſericatum.*
— 3. *Lema bicruciata*, aucta, adjecta menſura magnitudinis.
— 4. *Caſſida axillaris*, aucta, menſura magnitudinis adjecta.
— 5. *Caſſida diaphana*, aucta, menſura magnitudinis adjecta.
— 6. *Caſſida corrugata*, aucta, menſura magnitudinis adjecta.
— 7. *Galleruca Lanio.*
— 8. 9. 10. *Crioceris mutabilis*, var. a, b & c, auctæ, menſura magnitudinis adjecta.

Tabula IV.

Fig. 1. *Crioceris apicalis.*
— 2. *Crioceris limitata.*
— 3. *Crioceris pulchra.*
— 4. *Crioceris duplicata.*
— 5. *Crioceris litterata.*
— 6. *Crioceris ſemicincta.*
— 7. *Crioceris neglecta.*
— 8. *Chryſomela crucigera.*
— 9. *Chryſomela circumcincta*, omnes auctæ, menſura magnitudinis ſingulorum adjecta.

Corrigenda.

Pagina 3	linea	6	pro	ab hoc lege ob hoc.
8	—	21	—	plusquam l. plus quam.
10	—	25	—	anastomozantibus l. anastomosantibus.
11	—	22	—	ferugineo l. ferrugineo.
ibid	—	24	—	sed thorace l. sed capite.
21	—	8	—	aubnitidi l. subnitidi.
ibid	—	11	—	CATARRHACTUS l. CATARRACTUS.
24	—	7	—	elytrorumpue l. elytrorumque.
29	—	9	—	*Christofferson* l. *Christoffersson.*
47	—	1	—	vix thorace l. vix capite.
60	—	11	—	adde: Tab. III. f. 6.
61	—	4	—	reliculato l. reticulato.
ibid	—	20	—	nigris nitidum l. nigris, nitidum.


2.




3.




1.



4.




5.




8.



6.




7.




C.G. MANNERHEIM pinxit J.U. EKWALL sculpsit





C.G.MANNERHEIM pinxit. J.U.ERWALL sculpsit.


1.



2.



4.



3.


5.


6.



7.


8.


9.


10.


C. G. MANNERHEIM *pinxit.* J. H. EKWALL *sculpsit.*



C.G. MANNERHEIM pinxit

J.U. EKWALL sculpsit